Deorum pluralitatem introduxit adulatio sive timor. Nam potentes in seculo veteresque tiranni, cum quemlibet de filiis vel caris suis extulissent, ad tristitie sue remedia fecerunt eorum simulacra et in domibus suis sive penetralibus statuerunt. Quibus familiares captantes gratiam dominorum obtulerunt primo flores et serta florea thuraque succendebant. Rei quoque nonnulli ad illa tamquam ad asilum confugientes, ob hoc veniam a dominis meruerunt, unde satis constat quod hoc magis timoris effectu fecerunt quam amoris, unde dicitur: 'Primus in orbe deos fecit timor.' Ex hac occasione inveteratus error humanus in ydolorum culturam ubique gentium diffundebatur.

Sed et, ut ait Plato, antiqui, sive incole sive pastores, rationes et potentias ad usum vivendi datas hominibus pro diis colebant, ut agriculturam, vindemiationem, et cetera. Denique poete lucri causa easdem scientias membratim effigiaverunt, propriaque nomina eis assignaverunt, ut scientiam colendi agros Cererem, colendi vineas Bachum nominantes. Turpes etiam actus hominum, ut luxuriam et venerem, inter deos venerantes, sicque religionis loco exorta est superstitio. Superstitio autem vel ab aniculis ||13r| ultra consuetudinem humane vite viventibus sumpsit vocabulum, teste Servio, que iam decrepite per nimiam etatem delirantes primas de huiusmodi numinibus adinventiones ymaginate sunt; vel, secundum Lucretium, a rebus superstantibus quarum rerum inanis timor et superfluus superstitio appellatur.

27 Cf. Petronius, *Sup. Satyrici*, ed. Burm., 676; Stat. *T* 3.661; Fulg. 1.1.
30–41 MV^3 5.2.
38 Serv. *A* 8.187.
40 Lucr. 1.66.

16 sit homo *add.*

CAPITULUM I [*b*]

Saturnus primus deorum secundum quosdam existimatur, et ideo senex depingitur quia senum est ut calore destituto iuventutis frigiditate laborent. Minuitur enim in eis sanguis, unde et tremunt. Ita et stella Saturni frigidissima predicatur. Nec mirum cum a sole, a quo procedit omnis calor, sit remotissima, cum sit aquis supercelestibus vicina et in signis remotissimis habeat domicilia, que censentur a temporis sui effectu frigida, Aquario videlicet et Capricorno. In quibus etiamsi cum sole positus fuerit, gravissimam uredinem frigoris nobis creat. Sunt tamen qui asserunt eum non ex sua substantia, sed ab effectu frigidum nuncupari, quod sua scilicet constellatione contraria enecet homines. Mortui nempe sunt frigidi. Quod si verum est, non improprie senex pingitur, cum senum sit morti semper esse vicinos. Frigidus tamen a nonnullis eo tantum quod nocens sit, dictus est. Frigidus namque pro

1–22 MV^3 1.4.

nocens ponatur, ut in Virgilio: 'Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.' Senex non incongrue dicitur, quia sicut frigiditate et humore flegmatico ex natura abundant senes, ita et a signis Capricorno et Aquario, quibus preest Saturnus, frigus nobis et pluvias mensibus videlicet februario et ianuario provenire singulis annis sentimus.

Et propter hanc causam canus pingitur, quia pluvias et nives ||13ᵛ| ibidem causari scimus. Caput tectum habet, ut tamquam senex contra frigus se muniat et nos inde admonere putetur. Glauco etiam amictu, eo quod aquose et frigide nature sit stella eius.

Saturnum greci Cronon, id est tempus, appellant; hinc quidam caput eius tectum asserunt, quod ignotum sit nobis temporis principium. Et ideo a filio pulsum esse dicitur, quia sequens tempus quodammodo ex precedente gignitur et pellit preteritum succedendo. Sed et teuȝ a Grecis dicitur, quia apud eos *t* trescenta, *e* quinque, et ȝ sexaginta signat, et est hic numerus dierum totius anni. Tēȝ etiam comedens sive consumens interpretatur, unde et filios suos dicitur devorasse, eo quod tempus, quecumque gignit, genita devorat et consumit.

Falcem fert eo quod fructus quos tempus producit falce metuntur, vel quia Saturnus primus Latinis tradidit falcis usum, sive quod ad imitationem curvaminis falcium tempora omnia in se recurrunt; qua de causa et ipse draconem flammivomum in dextra tenere perhibetur. Draco enim ille annum designat. Qui bene caude sue ultima devorat, quia annus et in se per sua redit vestigia et annuam fecunditatem atque proventum omnium frugum devorat. Hinc et draco ille dicitur flammivomus, id est omnia devorans, sicut flamma cuncta consumit.

Fabule habent Saturnum patris sui Celii virilia abcidisse et in mare iecisse, et ex ipsorum cruore et maris spuma Venerem natam esse; vel ipsum Saturnum a filio castratum esse et de ipsius virilibus in mare missis Venerem generatam. De hac tamen diversitate nonnisi unum idemque est sentiendum. Testiculi enim utriuslibet abcissi fructus ||14ʳ| naturales quos tempora producunt designant. Qui videlicet et a seminariis prioribus sunt geniti et ipsi ad novos de se creandos, si suo modo propagentur sunt apti. Hos fructus et messes in ventris lacunam tamquam in mare demersos Venerem, id est libidinem, creare necesse est, unde comicus: 'Sine Cerere et Libero friget Venus.' Phisici tamen hoc ideo fictum asserunt, quia nisi humor de celo ad terram descenderet nichil penitus crearetur.

Postquam Athenii vel Themide oraculo vetustissimo Saturnus comperit se per filium suum posse regno depelli, natos ex Rea uxore sua devoravit. Que nati Iovis pulcritudine delectata, nimphis eum commendavit in monte Crete Dictee, ubi eum aluerunt apes, et adhibiti sunt Curetes et Coribantes, qui tinnitu eris prohibebant audiri vagitum pueri. Unde ipsi sunt matris deum ministri. Quod Saturnus fingitur filios suos comedisse, ratio est quia dicitur deus esse eternitatis et seculorum secula, annos ex se natos in se volvunt.

14 Virg. *E* 3.93.
23-30 MV³ 1.5.
31-38 MV³ 1.6.
39-50 MV³ 1.7.
48 comicus] Ter. *Eun.* 732.
51-58 Serv. *A* 3.104.

23 Cronon] *MV³*: Κρόνον
26-28 *MV³*: Sed et *Tex* a Graecis dicitur, quia apud eos τ′ trecenta, ε′ quinque, ξ′ LX significat.
46 lacunam] lasciviam
58 ex] in

CAPITULUM II.

Saturnus a Iove victus dicitur ne immoderatos cursus habeat, atque, ut stellarum per quas tempus disponitur, vinculis alligetur.

Refert Anacreon auctor antiquissimus Titanas, id est Titani filios fratris Saturni, adversus Iovem insurrexisse quia avunculum suum Saturnum a regno expulerat. Contra quos Iupiter processurus consuluit deos de futuro belli eventu. Cui consulenti aquila advolavit in augurio; audacter igitur in pugnam progressurus victoriam consecutus est. Qua de causa aquilam auream ab eo tempore in bellis habuit semper secum. Et quia aquila comite prospere ||14v| ei contigit, fictum est quod ei aquila fulmina ministravit. Porro Titanas ferunt fabule a Terra procreatos esse in ultionem deorum, contra quos irata erat. Revera isti quidem malefici fuerunt et fortes ad inferendum malum vicinis suis et convicia diis, a quorum iniuria solus Sol abstinuit et ideo nomen pristinum retinuit. Titan enim vocari in celo meruit. Sol etiam appellatur quia solus de numero Titanum iustus fuit.

Iupiter igitur, ut diximus, patrem Saturnum regno expulit et pacem que tempore patris viguit perturbavit, et ita aureum seculum, quod ab aureis moribus dictum est, in argenteum commutavit. Iovis namque tempore multos in terrenis substantiis locupletes constat fuisse, unde debellato Saturno et fugato, alii tiranni Iovem ipsum paterna hereditate privare aggressi sunt. Quos quia bellicis machinationibus superavit gigantes fingitur fulminasse.

Venerem terre pulcritudinem phisici dicunt esse; quod de virilium cruore et maris spuma nata sit Venus quidam hac autumant ratione: Omnes vires, inquiunt, usu venereo debilitantur. Unde fingitur Venus nata per dampnum. De mari autem ideo, quia tradit phisica sudorem salsum esse quem semper elicit coitus. Vide de hiis inferius.

1-2 MV^3 1.8.
3-10 Cf. MV^3 3.4.
10-15 MV^3 3.5.
16-22 MV^3 1.9.
23-27 MV^3 1.7.
27 Cf. infra, 1.11.

24 Venus] deus

CAPITULUM III.

Cibele mater deorum uxor Saturno decernitur. Cibele mater deorum dicta est quia apud antiquos sive demones sive dii sive indigetes a divitiis dicti sunt; divitiarum autem mater est potentia. Hec dea ignis esse credebatur. Cuius argumentum fuit quod in templo eius ignis semper servabatur inextinctus. Vestam Iovis fuisse nutricem et 'suo eum gremio sustentasse,' commemorat ||15r| Martianus. Ideo fingitur terreno igne, quia per Vestam celestem ignem Iovem intelligitur enutriri.

Ovidius libro Fastorum ab antiquis eam focum memorat nominari. Sed et in introitu templi ignem iugiter extitisse, ipsumque locum a Vesta, id est a foco, vestibulum esse dictum. Addit quoque nullam Veste, sicut nec igni, effigiem attributam ab antiquis, que semper est in motu. Sed et ideo, quod ignem habeat in templo inextinguibilem, eam potissimam religionis deam sanxerunt. Cui diverse potentie tri-

1 MV^3 2.1.
1-3 MV^3 2.2.
3-13 MV^3 2.5.
5 Mart. Cap. 1.72.
8 Ovid. *F* 6.301-4.

buebantur, etiam secundum diversas vires et potentias, quasi diverse res in eadem intellige quod per formationem sui templi coniciebatur, quia templum eius et tolum templi ad similitudinem terre rotunda fuisse certum est. Dicebatur et ignis, quia sicut de igne nichil nascitur, ita nec de virgine quam eam semper fuisse commemorant. Unde Ovidius retexens eius originem ita dicit in Fastis: 'Ex Ope Iunonem memorant Cereremque creatas Semine Saturni, tertia Vesta fuit; Utraque nupserunt, ambe peperisse feruntur, De tribus impatiens restitit una viri,' id est Vesta quia virgo; 'Quid mirum, virgo si virgine leta ministra Admittit castas in sacra sua manus?'

Globus terre in templo Veste arte machinica appensus in aere et focus in asbeste lapide signant totius terre Vestam esse deam et etiam deam ignis, unde dicit Ovidius de Fastis: 'Vesta eadem est et terra: subest vigil ignis utrique,' id est terre et templo suo, 'Significant sedem terra focusque suam. Terra pile similis nullo fulcimine nixa, Aere subiecto tam grave pendet onus .... Arte Siracusia suspensus in aere clauso Stat globus, immensi parva figura poli, Et quantum a ||15^{v}| summis, tantum secessit ab imis Terra; quod ut fiat, forma rotunda facit. Par facies templi: nullus procurrit in illo Angulus; a pluvio vindicat imbre tolus.'

Templum namque numquam fuit sine igne, nec eo tempore fiebat ullum sacrificium sine igne et sine illa nulla religio colebatur; unde ipsa non invocabatur, quia vis eius ad aras et focos pertinet et semper oportuit eam esse presentem; unde lege sacrorum prohibebatur scire nomen numinis Veste que preerat urbi Rome. Quod, ut legitur, ausus quidam tribunus plebis enuntiare, in cruce levatus est. Erat autem in templo Veste futis vas quoddam lato ore, fundo angusto, quo in sacrificiis Veste sacerdotes utebantur. Aqua enim ad sacra eius hausta humi non deponebatur. Quod si fieret piaculum erat. Ideo vas excogitatum est quod stare non posset, sed positum statim quicquid contineret effunderet, significans quod sicut a manu non remittebatur, ita a religione nullo tempore esset cessandum.

Vesta igitur terra est, quod veteres probaverunt per sui nominis ethymologiam. Quia videlicet vi sua stet cum elementa reliqua sine intermissione moveantur, unde Ovidius in Fastis: 'Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur .... At focus a flammis et quod fovet omnia, dictus.' Vestam igitur quidam matrem deorum dicunt, quam Virgilius genere feminino appellat, Varro et nonnulli alii genere masculino.

Quod sit etiam ignis Ovidius confirmat dicens: 'Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige flammam, Nataque de flamma corpora nulla vides. Iure igitur virgo est, que semina nulla remittit Nec capit; . . . Effigiem nullam Vesta nec ignis habet.'

De Cibele vel Berecinthia vide in libro decimo. ||16^{r}|

16-17 templum. . . MV^3 2.6.
17-18 Isid. *Etym.* 8.11.67-8.
19-23 Ovid. *F* 6.285-8; cf. MV^3 2.6.
26-33 Ovid. *F* 6.267-70, 277-82.
34-35 . . .colebatur, cf. MV^3 2.5.
35-39 unde. . . MV^3 2.6; in Plut. *Quaest. Rom.* 61 tribunus Valerius Soranus nominatur.
39-45 MV^3 2.5.
46-48. . . moveantur, MV^3 2.6.
48-50 Ovid. *F* 6.299, 301.
50-51 MV^3 2.6.
50-51 Virgilius, Varro] cf. Serv. *G* 3.1.
52-55 Ovid. *F* 6.291-4, 298.
56 Cf. infra, 10.3.

32 vendicat
44 a] et

CAPITULUM IV.

Saturnum, id est sacrum sensum, id est divinam providentiam omnia procreantem sive satorem omnium veteres interpretabantur. Cui dant quatuor filios: primum Iovem, secundum Iunonem, tertium Neptunum, quartum Plutonem. Ipsum Saturnum dicunt Pollucis filium extitisse; ipse est Celius, vel ut quidam Polifilium, id est multos habentem filios, quatuor videlicet elementa gignentem: Iovem, id est etherem vel ignem; Iunonem, id est aerem; Neptunum, id est aquam; Plutonem, id est terram.

Iovem et Iunonem, id est ignem et aerem, quoniam tenuitate paria elementa <esse> videntur, germanos esse dixerunt. Quia vero Iuno, quod est aer, igni subiectus est, id est Iovi; ideo Iovi mariti nomen est datum; hii ambo a iuvando sunt dicti. Nichil enim sic fovet omnia sicut calor. Nec sine aere ullum animal vivere potest.

Iupiter vero dicitur quasi iuvans pater, cuius stellam salutarem esse asserunt et temperatissimam. Quippe que inter Martem posita et Saturnum ab utroque temperiem mutuari putatur, a Marte calorem, a Saturno humorem contrahens. A Virgilio autem Iupiter eterna deorum et hominum potestas vocatur.

Phisici vero Iovem in figura huius mundi accipiunt. Tamen frequentius Iovem pro ethere accipimus, unde et triumphantes qui Iovis habent insignia, sceptrum videlicet palmam et Iovis tunicam. Faciem quoque de rubrica illinunt instar coloris etherei.

Mos erat Romanis ut bella gesturi de parte prede aliquid numinibus pollicerentur, adeo ut Rome templum fuerit Iovis predatoris. Non quod prede presit, sed quia ex preda ei aliquid debeatur. Unde Virgilius: 'Irruimus ferroque domos ipsumque vocamus In partem predamque Iovem.' ||16v|

1-8 MV³ 2.6.
9-13 MV³ 3.1.
14-17 MV³ 3.3.
17-18 MV³ 3.2; cf. Virg. *A* 10.18.
19-22 MV³ 3.9.
23-25 Serv. *A* 3.222.
26-27 Virg. *A* 3.222.

10 esse *add.*

CAPITULUM V.

Iuno Iovis uxor asseritur quia nichil est ea mollius. Nam sicut uxor viro, ita etheri, qui pro Iove capitur, aer subest, qui Iuno vocatur a philosophis et poetis; et ab eo calorem quo inferiora foveat veluti <semen> in matrice feminarum suscipit. Iuno dicitur preesse partubus feminarum, unde et Lucina vocatur quod nascentes in lucem producat. Dicitur et dea portarum quod nascentibus portam prebeat. Dicitur et Fluvionia a fluoribus seminum quod feminas in partu liberet. Dicitur Februalis vel Februa quod eas post partum secundis egredientibus purget. Februo enim grece, purgo latine. Hinc et Februus dicitur Pluto quod presit purgationibus animarum. Inde et mensis in quo anime expiationes celebrant veteres februarius appellatus est. Dicitur etiam Iuno Interduca quod nubentes pariter ducat. Dicitur et Domiduca quod ad domos

1-4 MV³ 4.1.
4-21 MV³ 4.3.

3 semen *add.*

maritorum puellas adducat. Dicitur et Uncta ab ungendo, videlicet quia variis unguentis ungebantur nubentes, vel quia postes domorum ungebant ingredientes, unde uxores quasi unxores dicte sunt. Cinctia a cingendo per antifrasim appellatur quia ipsa cingulum castitatis resolvat. Socientia quia ipsa marem et feminam sociat, vel Satiena a satione. Iuno in labore coeundi mulieres liberat, que et earum bellum vocatur, unde Virgilius: 'At non in Venerem segnes nocturnaque bella.' Dicitur etiam Populatio quod populos multiplicet. Curtio quia preest curribus quibus bellantes utuntur. Fingitur etiam quod Iuno precedebat Venerem in nuptiis, quia ante est Iunonis officium in matrimonio quam Veneris usus in coitu.

Iuno regnorum fingitur esse dea, cuius coniugium Yxion petiit; ipsaque ||17^r| nubem in specie sua ornavit, cum qua Yxion coiens Centauros genuit. Et dicti sunt Centauri quasi gentauri, id est geniti ex aura. Iuno igitur dea regnorum dicitur; Yxion dignitas interpretatur. In hac vero vita quelibet dignitas, id est quantelibet dignitatis persona regnum affectans, nubem tantum meretur, id est horariam regni similitudinem. Illud enim verum regnum est quod est perenniter duraturum, non illud quod est transitorium. Legitur quod Yxion primus in Grecia regni gloriam affectavit et centum equites sibi primus omnium adquisivit, unde Centauri quasi centum armati. Is igitur parvo tempore celeriter regnum adeptus est, quia cito de regno eiectus est. Et ideo ad rotam dampnatus dicitur, quia rote vertigo que superiora sunt deicit.

De Centaurorum fabulosa adinventione sic sentit Servius: Peletronium, inquit, oppidum est Thessalie ubi primo domandorum equorum repertus est usus. Nam cum quidam rex nomine Thessalus bobus suis oestro agitatis, satellites suos ad eos revocandos ire iussisset; quia ad cursum non sufficiebant, ascenderunt equos et eorum velocitate boves secuti, eos ad tecta stimulis revocarunt. Cumque eorum equi circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis, locum fabule dederunt ut Centauri esse crederentur, id est semihomines et semiequi putarentur. Alii dicunt Centaurorum fabulam esse confictam ad exponendam humane vite velocitatem, quia equum animalis velocissimum esse constat.

Ethicus philosophus in cosmographia sua refert Amazones Centauros iuvenes inventos in solitudinibus lacte suo nutrisse, et ipsos Centauros postea humanitatis causa ac ||17^v| pietatis ante nutrices frendendo atque seviendo adversus perimentes, amicas ac nutrices sese defendentes in morte posuisse.

Iunonem Iovis asserunt sororem et coniugem; ignem <enim et aerem Iovem,> aquam et terram Iunonem interpretantur, quorum duorum commixtione universa gignuntur.

Quod Iuno, id est aer, cum Iove, id est igne, de voluptate certamen habuerit fingitur per fabulam de Tyresia. Tyresias, cum serpentes duos

19 Virg. *A* 11.736.
21-23 MV^3 4.4.
24-26 MV^3 4.6.
26-27 . . . aura, cf. Bodl. MS. Digby 221, f. 101^r.
27-35 MV^3 4.6.
36-46 MV^3 4.7; cf. Serv. *G* 3.115.
47-51 Aethicus Istricus 5.68.
52-54 Isid. *Etym.* 8.11.69.
55-91 MV^3 4.8.

17 Socientia] *MV*^{3}: Soticena | Satiena] *MV*^{3}: Saticena
20 Populatio] MV^3: Populonia | Curtio] *MV*^{3}: Curitis
34 celeriter] celebre
52-3 enim. . .Iovem *add.*

vidisset coeuntes et eos virga percussisset, mutatus est in feminam. Iterum post septem annos cum eosdem vidisset concumbentes et eos percussisset, iterum in masculinum est conversus. Cumque de amoris qualitate Iupiter et Iuno decertarent, eum iudicem elegerunt. Ille tres amoris uncias habere virum, feminam vero novem dixit. Quare Iuno irata lumen ei ademit; Iupiter vero, ut ei quod amiserat aliquatenus restitueret, futurorum scientiam ei dedit. Expositio:

Tyresias itaque estiva perennitas interpretatur, unde etiam in figura temporis ponitur. Tempus igitur mensibus hiemalibus, dum terris frigore constrictis germina nulla producit, masculinam quodammodo obtinet formam; vere autem ingresso, animalia iam lasciviam exercentia et coeuntia videns, percutit ea virga, id est fervoris estu. Tuncque in sexum femineum, id est estivam, transit fecunditatem. Ideo vero in modum femine estas ponitur, quia eo tempore germina prodeuntia omnia sic a suis tamquam a matris utero emergant folliculis. Porro duo sunt naturalium conceptionum tempora, ver et autumpnus. In autumpno igitur dum coeunt iterum animalia et seruntur germina, percutit ea iterum Tyresias, id est tempus iam ad hiemem vergens, virga, id est frigoris uredine. Sicque tandem in pristinam redit ymaginem. ||18r| Autumpnus enim adeo cuncta constringit, ut etiam herbe iam marcescant, succi arborum exsiccentur, folia decidant. Sicutque tempus ad frigus hiemale declinans in masculinam revertitur sterilitatem. Nec incongrue septimo anno sexum mutasse dicitur. Septimo enim mense solem vices temporum variare manifestum est. Denique duobus diis, igni atque aeri, de voluptate, id est de procreationis natura certantibus, Tyresias arbiter queritur, iustumque, utpote rem expertus, profert iudicium.

In fructificandis enim germinibus tripla ab aere quam ab igne provenit materia. Aeris enim humiditas germina fovet in glebis et producit in foliis et multiplicat in folliculis. Calor enim ignis maturare tantum novit in granis. Sed mox Tyresias excecatur a Iunone, illa videlicet causa quod hiemis tempus nubilo aeris caligante nigrescat. Iupiter tamen, id est calor, singulis diebus quantulamcumque hyemalem leniens asperitatem, seminum satorum saltem spondet, et quasi iam predicit, proventum, unde et futurorum fingitur ei dedisse scientiam. Nam et ob hanc rem etiam Ianus bifrons pingitur quod in preterita respiciat et futura prevideat; hunc etiam totius anni dominum esse volunt, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Ideoque eundem quadrifrontem pingunt. Anni autem illum esse deum res ista probat quod ab eo prima pars anni, id est ianuarius nominatur.

Quantum quod historiam Ianus rex fuit Italorum qui primus percepisse dicitur Grecorum scientiam. Universorum autem scientiam hunc designare putant gentiles, unde et competenter Ianus vocatur quasi yanus, id est ||18v| universalis sensus. Cui dant Argionam uxo-

92-96 MV[3] 4.9.

62 amiserat] a misera
85 germinat et fovet
90 salutem

rem, id est scientiam, quam ab Argis, id est a Grecis, universi diditerunt.

CAPITULUM VI.

Neptunus tertia proles Saturni, id est aquarum elementum, tridentem fert quia aque triplici funguntur virtute. Sunt enim liquide, fecunde, potabiles. Neptunus nova formans interpretatur, eo quod in aquis forme rerum appareant vel quod ex humore et calore procreentur. Neptuno Amphitriten poete assignant coniugem quia terra ambiat. Uxor Neptuni Thetis dicitur quia ipsa est solum maris, id est terra mari subiecta. Alii dicunt Stigem uxorem Neptuni que est palus infernalis. Que dicitur nutrix deorum et hospita quia omnes dii de terris per purgationem, quam Stix significat, celeste consortium meruerunt; que etiam bene uxor Neptuni dicitur: sub mari enim est maxima palus infernali, id est terre.

Pluto quartus Saturni filius inferorum rex esse describitur et deus divitiarum, quia in inferioribus terre divitie esse creduntur. De terre vero visceribus diversarum rerum copia quibus utuntur homines nascitur. Pluto dives interpretatur, cui omnia que in abditis terrarum absconduntur a philosophis attribuuntur, sicut et Neptuno omnia que de aquis procreantur. Sed Pluto ditior est Neptuno quia de undarum instabilitate nichil pretis genera piscium procreatur. Ipse etiam dicitur Vedius, id est malus deus; et Veiovis, id est malus Iovis; et Orcus infra appellatur. Orco enim grece, iuro latine. Quasi enim iurat et affirmat se nullam animarum sine supplicio et examine dimissurum. Tenebris eternalibus ideo deputatur quod sola terre materia cunctis sit elementis obscurior.

Terram hanc, in qua vivimus, inferos esse veteres philosophi tradiderunt. Nempe novem ||19r| circulis planetarum cingitur terra, scilicet Saturni, Iovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lune, et duorum magnorum, id est celi stellati et novem circuli qui movent omnes, vel lactei et zodiaci; ideo omnia que finguntur de inferis etiam in terris esse probantur.

Quod per novem circulos inferni Virgilius animas distribuit dicens: Primum tenere animas infantum; secundum eorum qui per simplicitatem sibi adesse nequiverunt; tertium qui evitantes erumpnas se necaverunt; quartum eorum qui amaverunt; quintum virorum fortium; sextum nocentium qui a iudicibus puniuntur; septimum in quo anime purgantur; octavum animarum iam purgatarum ut redeant; nonum campum Elisium, quo non revertuntur anime.

De fluviis inferni quatuor et de Stige palude videbis inferius capitulo. De penis inferni competentes reddit Lucretius rationes. Et que finguntur de inferis omnia in vita nostra esse confirmat.

Nam Titium, iecur vulturibus dantem laniandum, amorem esse,

1-3, 4-5 MV^3 5.1.
8-9 . . .meruerunt, MV^3 6.3.
12-23 MV^3 6.1.
24-29 MV^3 6.2.
30-36 MV^3 6.20.
37 Cf. infra, 1.30.
38-55 MV^3 6.5.
38 Lucr. 3.994-1006.

8 nutrix] victrix
15 Pluto] *MV^3*: πλοῦτος
20 Orco] *MV^3*: ʽΟρκῶ
32-33 evitantes. . .necaverunt] vitanerumpnas denecaverunt

hoc est libidinem, dicit, que ita est secundum phisicos in iecore, sicut risus in splene et ira in felle; unde et iecur exesum a vulture in penam renasci dicitur. Etenim res semel peracta libidinis non fatiscit, sed semper recrudescit.

Per penam Sisiphi illi acri punitur super quos iam casurus lapis imminet, qui superstitiosi apud nos vocantur et inaniter semper verentur de deo et de celo et de superioribus male opinantur. Hii saxum volvunt, ut Sisiphus, dum semper ambiunt et repulsam patiuntur, et semper repulsi repetitores ambire non desinunt. Unde et Sisiphus penam illam per latrocinium dicitur incurrisse; latrones enim licet sepe periclitentur ab iniquitate tamen non desistunt.

Per penam Yxionis, qui in rota volvitur, negotiatores signantur qui semper pro tempestatibus turbinibusque volvuntur; unde Yxion, qui huius penam meruit, regno prius ditatus, ut prediximus, deinde expulsus et pro gloria priori ignominiam passus est.

Macrobius de ||19v| penis infernalibus ita sentit: Ait enim vulturem iecur immortale comedentem prave conscientie se dampnantis iugiter significare tormenta hac lege, qua se iudice nemo absolvitur nocens, nec de se suam vitare potest sententiam. Ait etiam illos radiis rotarum pendere districtos qui nichil previdentes consilio, nichil moderantes ratione, nichil virtutibus explicantes, se et omnes actus suos fortune committunt, casibusque fortuitis semper rotantur. Saxum vero ingens dicit volvere qui inefficacibus laboriosisque conatibus vitam terunt. Dicit etiam atram silicem semper lapsuram et cadenti similem illorum capitibus imminere qui semper dignitates et arduas affectant potestates, numquam sine timore victuri; qui cogentes subiectum vulgus sese odisse, semper sibi videntur exitium quod merentur excipere.

56–67 MV^3 6.6.
56 Macr. *SS* 1.10.

43 fatiscit] *MV^3*: satis fit
45 Sisiphi] *MV^3*: Phlegya
67 accipere

CAPITULUM VII.

Proserpina Cereris filia Plutoni nupta dicitur. Ceres autem gaudium interpretetur. Hec dea frugum fingitur, quia ubi plenitudo sit fructuum abundare gaudia semper solent. Proserpinam veteres segetem fore dixerunt, id est per terram radicibus proserpentem. Hec et Hecate a Grecis dicitur; hecaton enim centum interpretatur. Hoc nomen sortita est quod centuplicatum seges proferat fructum.

Hanc a Plutone raptam, id est in terra satam, cum lampadibus Ceres inquirere dicitur; unde et lampadarum dies Cereri dedicantur, illa videlicet ratione quod tempore messis cum lampadibus, id est solis fervoribus, fructus ad metendum cum gaudio requirantur. Ceres a poetis vocata est Flavia propter aristarum maturitatem. Ceres, cum de filia rapta quereretur, Iove admonente per cibum papaveris dicitur orbitatis oblita. Quia revera papaver soporem gignit. Quo dum fruimur estive annone aliquando penurie obliti, maturitatis tamen cunctationem minus graviter ferimus. Ceres etiam Alma vocatur ab alendo, que

1–20 MV^3 7.1.

5 hecaton] *MV^3*: ἑκατὸν
15 nimis

leges dicitur invenisse. Quia ante inventum frumentum a Cerere passim homines sine lege vagabantur. Que feritas interrupta est invento usu frumenti. Ex post quia agrorum ||20^{r}| divisione nata sunt iura. Ceres dicitur Triptolemum adamasse quia hiis primum in Grecia, sicut in Egipto Osiris, aratrum et magnam agriculture partem adinvenit.

Iuxta Ethnam rapta eius filia dicitur quia Sicilia frugum feracissima predicatur. Proserpina ipsa est Luna, que et Diana vocatur; Luna fingitur Endimionem adamasse pastorem, eo quod hic primus cursum lune deprehendit, unde et triginta annos cum illa dormisse dicitur, quos in huius rei inquisitione consumpsit. Luna dicitur habere sistrum propter primum mundane armonie tonum, qui a terra usque ad lunam est. Est autem sistrum genus tube vel organi, quo utuntur tantum Egiptii, quod et in simulacro Ysidis pingitur. Per sistri motum, quod gerit in dextera, Nili accessus et recessus designantur. Per fistulam vero, quam sinistra tenet, omnium lacunarum fluentiam ostendit. Sane Isis lingua Egiptiorum terra est, quam Ysim esse volunt. Proserpina igitur Plutoni coniungitur, ut supra diximus, quia terra humori copulatur. Per Plutonem enim terra cui preest. Per Proserpinam humor terram fecundans significatur.

21-22 . . .vocatur, MV^{3} 7.2.
22-25 MV^{3} 7.3.
25-34 MV^{3} 7.4.
29 fistulam] *MV^{3}*: situlam

CAPITULUM VIII.

Apollo primus Iovis filius esse describitur. Qui sub variis ponitur significationibus. Dicitur enim Apollo, id est perdens sive exterminans, eo quod suo calore omnes herbarum humores et arborum pellere videatur. Dicitur et Phitius a Phitone serpente quem secundum fabulam interfecit, vel a phito greco quod est interrogatio, quia ipsum interrogabant et consulebant. Nempe Phitius, id est fidem ferens, unde et Phitonem fingitur occidisse sagittis quia omnis falsa credulitas per tenebras orta radiorum eius fulgore destruatur. Phiton namque credulitas interpretatur. Dicitur etiam Sol, quod stellis omnibus obscuratis solus appareat. Dicitur et Licius a Licio fano apud Delon maximo. Dicitur et Delius a Delo insula ubi fuit natus. Quod Latona primo peperit Dianam et postea Apollinem ratio est. Nam constat primo noctem fuisse, cuius instrumentum est luna, et post diem quem sol effecit, qui est Apollo. Dicitur etiam Apollo parens, id est omnium creator, ||20^{v}| quia videlicet quicquid in terra vel in mari nascitur operante solis calore procreatur. Qui tamen, cum sit pater, imberbis pingitur, eo quod cotidie quasi iunior nasci videatur. Sed et Phebus, id est novus, vocatur quia cotidie novus apparet sol. Intonsus pingitur quod equales radios omnibus annis ministret. Dicitur et auricomus a splendore aureo. Et sagittarius a iaculis radiorum quibus penetrat omnem mundum. Laurus in tutela est Apollinis, cuius virtutem sompniorum interpretes esse dicunt, ut si laurum dormientibus ad caput posueris vera <sompnia> sompniabunt. Tripos etiam vocatur mensa Apollinis, tecta corio Phitii

1-10 . . .maximo, MV^{3} 8.1.
10-14 MV^{3} 8.3.
14-23 MV^{3} 8.4.
23-26 MV^{3} 8.5.

5 phito] *MV^{3}*: *πύθω*
7 falsa] firma
8 Phiton] *MV^{3}*: *πειθὼ*
22 sompnia *add.*

serpentis quem peremit. Divinationis deus Phebus putatur, sive quod obscura cuncta sol in luce manifestet, seu quod in progressu suo multarum rerum exhibeat significationem.

Quadrigam Phebo tribuitur propter quadripartitam varietatem temporum, scilicet veris, estatis, autumni, et hiemis, quibus peragit circulum totius anni; vel quia quaternaria sui diversitate diei spatium metiatur, unde et data sunt nomina eius equis, qui quatuor esse dicuntur: Pirous, id est splendens; Eon, id est calens; Ethon, id est ardens; Flegon, id est tepescens. Quatuor nempe naturas habet sol. Quando oritur splendens est, in progressu vero calet, ardet in meridiem, sero tepescit. Quidam et alia nomina tribuunt solis equis. Primum namque Erithreum, id est rubentem vocant; secundus dicitur Acteos, id est splendens; tertius Lampas, id est lucens vel ardens; quartus Philogeus, qui amans terram interpretetur. Quia sol singulis diebus mane rubet, quod sonat Erithreus; hora vero tertia splendet, quod sonat Acteos; media die in centro iam positus immensa luce choruscat, quod docet Lampas; sero vero occidendo terrarum iam declivia petit, quod significat Philogeus. Corona Phebo tribuitur duodecim lapidum splendoribus mire choruscans. Qui figurant duodecim anni diversitates. Nempe per coronam Phebi annus intelligitur. Per duodecim lapides duodecim menses anni. Per duodecim gemmas coroni Phebi duodecim diei hore, ||21r| que per solis cursum designantur, accipiuntur.

Phebus etiam medicorum deus dicitur, vel quia herbe quibus utuntur medici solis calore producuntur vel quia precipue temporum mutationes, quas solis cursus disponit, humoribus equalitates apportant vel inequalitates ex quibus salus egritudinesque generantur. Omnes etiam qui matris utero secto procreantur Apollini consecrantur, utpote deo medicine per quem lucem sortiuntur. Hinc et Esculapius, qui a Coronidis utero exsectus dicitur, ipsius fingitur filius. Interpretatur enim Esculapius dure faciens.

Sol etiam dicitur in oceanum mergi et ibi fatigata reficere luce, in denique mane lotus emergere. Revera ignis solis aqua nutritur poeticum figmentum ostendit in quo dicitur quod Iupiter cum ceteris diis ab Ethiopibus ad epulas est invitatus. Ethiopes enim iuxta oceanum habitant, cuius aqua septem planetarum ignes pascuntur.

Ad Solem pertinet fabula vel historia Atrei et Thiestis.Qui cum essent germani fratres et in dissensionem sibi nocere non possent, in simulatam gratiam redierunt. Qua occasione Thiestes cum fratris uxore concubuit, Atreus vero recognita, filium quem genuerat apposuit epulandum. Quod Sol videns, ne pollueretur, aufugit. Veritas tamen fabule ista est: Atreus apud Micenas solis eclipsim primus invenit. Cui invidens frater ex urbe discessit eo tempore quo eius dicta sunt approbata. Sane numina pro locis tam fabulas varias quam et diversa nomina

27-30 . . .dicuntur, MV^{3} 8.6.
31-34 . . .tepescit, Papias, s.v. 'Sol.'
34-41 MV^{3} 8.5.
41-44 MV^{3} 8.7.
46-53 MV^{3} 8.15.
54-78 MV^{3} 8.16.

35 Acteos] *MV^{3}*: Aethon
52 exsectus] consectus
66 fabulas] *MV^{3}*: figuras

sortiuntur. Nam apud Delphos Apollo humana effigie pingitur. Apud Licium lupina. Apud Delos vero formam habet draconinam.

Tria insignia circa simulacrum Apollinis videbantur: lira que nobis armonie celestis monstrat ymaginem, grifes que eum terrenum numen ostendit, sagitte que eum infernum numen monstrant et noxium indicant. Inde Apollo a greco apollin, id est exterminando perdendove, dictus est. Eumque tam pestilentie quam salutis auctorem dicunt veteres. Cui et irato sagittas et arcum, placido vero citharam assignarunt, unde Horatius: 'Condito mitus placidusque telo Supplices ||21v| audi pueros, Apollo.' Apollo igitur liram habet, eo quod per concordiam caloris et humoris omnia temperantur. Et mathematici asserunt quotiens sol cum arcu apparuerit pestilentiam subsequituram.

Quod autem Apollo divinitate spoliatus, caruerit propter occisos Ciclopes, Admetique pecora paverit, ideo fictum esse videtur quia sol herbas et omnia pecorum alimenta producit. Celeritas filia Solis dicitur quia nichil corporale est sole celerius. Sol cum lampade pingitur quam manu fert, id est facem cum contra mundum illuminare putatur. Crinem in fonte Castalio lavare dicitur quia revera locum illum incoluerunt sapientes, secreta philosophie perscrutantes, hac similitudine quia crines colla occultant.

Novem Muse ideo ei applicantur quia secundum phisicos que vocem humanam operantur novem sunt: videlicet duo labia, quatuor dentes, plectrum lingue, gutturis cavitas, pulmonis anelitus. Si enim ex hiis aliquid defuerit, vox perfecta non erit. Alii novem Musas doctrine atque scientie modos appellant et secundum vocabulorum interpretationes eis assignant ordinem congruentem. Prima Clio ponitur que fama interpretatur. Quia nullus querit scientiam nisi in qua fame sue procuret dignitatem. Ideo prima est Clio appellata, id est cognitio querende scientie. Secunda Euterpe que bene delectans interpretatur; ut sit primum velle, secundum delectari in eo quod velis. Tertia Melpomene, id est meditationem faciens; ut sit primum velle, secundum desiderare quod velis, tertium instare <meditando> ad id quod velis. Quarta Talia, id est capacitas vel ponens germina. Quinta Polimia, id est multam memoriam faciens; post capacitatem memoria necessaria est. Sexta Eratho, id est inveniens simile; post capacitatem enim et memoriam discendi utilissimum est ut de suo aliquid inveniat simile. Septima Tersicore, id est delectans instructionem. Post inventionem enim discernere oportet et diiudicare quod inveneris. Octava Urania, id est celestis armonia. Post diiudicationem enim quid dicas aut quid dispicias eligis. Eligere autem utile caducumve despicere celeste ingenium est. Nona Calliope, id est optima vox, quia bene electa ore sunt proferenda. ||22r|. Optime vocis igitur hinc erit ordo: primum est velle doctrinam, secundum delectari in eo quod velis, tertium ad id quod desideraveris et in quod delectatus fueris perseveranter instare, quartum id capere ad quod instas,

75 Hor. *Carm. saec.* 33-4.
79-90 MV^3 8.17.
90-113 MV^3 8.18.

71 infertum
72 apollin] *MV^3*: ἀπολειν
94 prima] prior | cognitio] *MV^3*: cogitatio
98 meditando *add.*

quintum memorari quod capis, sextum de tuo aliquid simile ei quod memineris invenire, septimum quod inveneris iudicare, octavum de eo quod iudicas eligere, nonum quod eligeris bene proferre.

Clio canit historias; interpretatur fama vel luna et est Musa lune. Euterpe tibias tenet et est Musa Iovis; versus: 'Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.' Melpomene, id est tragedia; versus: 'Melpomene tragico proclamat mesta boatu.' Talia, id est comedia; versus: 'Comica lascivio gaudet sermone Talia.' Polimia, <id est> multe memoria, Musa Saturni; versus: 'Rethoricos dictat Polimia nova calores.' Eratho Musa, id est geometria; versus: 'Plectra gerens Eratho saltat pede, carmina vultu.' Tersicore Musaque composuit psalterium; versus: 'Tersicore causam numeris movet, imperat, auget.' Urania Musa, id est astrologia; versus: 'Urania poli motus scrutatur et astra.' Calliope Musa, id est Mercurius, et interpretatur optima vox vel sonoritas.

Muse dicuntur esse filie Iovis et Memorie quia hec omnia vigore dei sunt retinenda et proferenda. In monte habitant quia sapientia est in sublimibus et excellit omnia. Fontem habent quia sapientia est copia indeficiens. Alii intelligunt novem Musas octo sperarum musicos cantus et unam illam, armoniam, que ex omnibus conficitur consonantibus, unde et octavam, Uraniam, id est celestem; nonam vero ipsam Musam videlicet octo vocum universitatem, Calliopen, id est optime vocis sonoritatem dicunt.

114-124 Ps.-Ausonius, *App. Aus.* 3; cf. MV^2 24.
125-128 Papias, s.v. 'Musica.'
128-132 MV^3 8.19.

118 id est *add.*

CAPITULUM IX.

Mercurius secundus Iovis filius esse sermonis et eloquentie deus asseritur. Et ideo dicitur preesse mercatoribus inter quos sermonis virtus et cautela maxime exercetur. Dicitur etiam deorum nuptiis interesse, quod in nuptiis sermo plurimum discurrit. Dicitur et natus post Apollinem, quia prius fuit consilium quam sermo, quod per Apollinem deum sapientie designatur. In qualibet enim re prius excogitatur, deinde sermone, qui per Mercurium intelligitur, quod provisum fuerit enuntiatur.

Mercurius Iove patre ||22^v| et Maia matre genitus, ex altera parte mortalis extitit; sed eum natum mox Iuno uberibus suis applicavit, sicque divino lacte perfudit, ut fieret immortalis. Fabula dicit Iunonem omnes pelices suas persecutam fuisse, solam tamen Maiam dilexisse, quia mense maio sol in Tauro posito et per Pliades, que in genu Tauri sunt, quarum una Maia est, iter faciat; tunc aeris caliditas vernalibus pluviis temperatur et de temperie sua quasi letari videtur. Mercurio Iuno dicitur immortalis poculum ministrasse, id est eum inextinguibilem tenebris reddidisse.

Sermo igitur ad divina, id est ardua et subtilia, et ad humana, id est humilia et minus subtilitatis habentia, aptus est explicanda; unde et parentibus altero immortali, <altera mortali,> videtur procreatus. Dum

1-8 MV^3 9.1.
9-11 MV^3 9.2.
11-15 MV^3 4.2.
18-34 MV^3 9.2.

20 altera mortali *add.*

igitur sermo in terrenis tantum et inferioribus versatur, merito mortalis dicitur. Dum vero ad Iunonis, que est aer, ubera tollitur, id est dum ad celestia et altioris philosophie secreta disserenda ascendit, videtur divinitatem quodammodo meruisse. Per phisicam igitur Iunonis uberibus Mercurius dicitur educatus, quia sermo voce ex aere percusso formata quodammodo perficitur atque nutritur.

Mercurius secundum fabulam adhuc adolescentulus cum Venere dicitur concubuisse et genuisse Hermafroditum, a suo videlicet nomine et Veneris nomen habentem. Nempe grece Mercurius Hermes, Venus vero Affrodite, id est spumea nuncupatus. Hermafroditus igitur, id est Mercurii et Affrodite filius, dictus est. Nos vero hermafroditos dicimus homines utriusque sexus, quos et androgynos nuncupamus. Hermafroditus autem significat quandam sermonis lasciviam. Quia plerumque neglecta veritatis ratione superfluus sermonis ornatus requiritur.

Mercurius deus furum et ipse fur esse dicitur, quia mercatores, quorum deus esse describitur, periuriis suis et fallaciis homines decipientes parum distant a furibus; unde et Argum, oculis ei falce erutis, dicitur occidisse, eo quod astuti fures et falcate versutie dolis instructi negotiatores sepe et sapientissimos viros, que secularis calliditatis vacuos, decipiant et defraudent.

Argus nempe vacuus interpretatur. Gallus eius putatur ||23r| custodie, quia gallus horam surgendi mercatoribus quibus preest videtur denotare. Virgam fert quia sermo facundie recto rationis tramite pronuntiatur. Quod ideo serpentibus est innexa et caduceus dicitur, quia sermo rethoricus inter venenosas adversariorum litigationes medius currens, omnem rixam cogat cadere et litigantes adinvicem reconciliet. Nempe et bellantes disertorum oratione sedantur; unde et legati pacis caduceatores vocantur.

Virga Mercurii sompnum dat et adimit, quia sermo ingeniosus alias lites sopit. Alias nonnumquam suscitat. Virga illa vitam quoque largitur et aufert, quia rethorum sermo in causis hunc liberat, hunc condempnat. Sed et galerum habet propter involutam verborum obscuritatem. Comites ei assignantur Themis et Erigone. Themis obscuritas vel caligo interpretatur, Erigone contentio litigiosa. Hec revera rethori conveniunt; sermo namque rethoris aliquando obscurus est, aliquando clarus, et nonnumquam lites et iurgia provocat. Per geminos serpentes quibus eius virga nectitur, venenosa et activa rethorum facundia designatur. Gemini autem ideo sunt serpentes, quod sermo rethorum dampnat et liberat. Per virgam vero ideo rethoricus sermo signatur, quia sicut virga rectus et inflexibilis debet esse iustitie in oratoribus et veritatis tenor. Cuius virge caput est auratum, medium glaucum, picea finis, quia sermo rethoris primo quidem pulcher videtur, deinde exasperatur, ad ultimum vero dampnat reum.

Mercurius etiam talaria habet aurea <et> petasum, id est calciamentum alatum, a volando dictum eo quod sermone nichil est velocius, sive

35-52 MV^{3} 9.3.
52-63 MV^{3} 9.4.
64-78 MV^{3} 9.5.

23 disserenda] *MV^{3}*: discernenda
29 Hermes] *MV^{3}*: Ἑρμῆς
30 Affrodite] *MV^{3}*: Ἀφροδιτη
57 activa] *MV^{3}*: acuta
64 et petasum, id est] id est petasum

propter nimiam eius syderis velocitatem. Ob signum quoque velocitatis vertice alato depingitur, quia cum alie stelle tarde recurrant ad ortus suos, Mercurius octavo decimo die in ortu suo invenitur. Unde et Stilbon appellatur quod celer interpretatur. Aliquando enim supra solem scandit et pene pervenit usque ad Martis circulum. Aliquando vero cum retrogradus est ad inferiores descendit circulos et tunc pene usque ad confinium ||23v| lunaris circuli defertur. Et ideo fingitur quod celum et terram frequenter percurrat.

Mercurius deorum minister dicitur, quia sermo maioribus et minoribus equalem prebet famulatum; vel quia de quinque planetis duos esse noxios, Martem et Saturnum, duos vero bonos, Iovem et Venerem, asseverant. Mercurius vero talis est, qualis est ille cui adiungitur; unde et fingitur deorum minister quod eorum obtemperet potestati. Mercurius igitur diversis vocatur nominibus. Fuscus propter ardorem solis depingitur, Fuscusque vocatur. Cillenius a Cilleno monte Archadie ubi natus fingitur. Mercurius a negotiatione. Kyrios enim et dominus dicitur quasi dominus mercatorum. Archas dicitur ab Archadia. Prudentie deus dicitur, unde et apud Egiptios capite canino depingitur. Apud quos etiam Anubis appellatur. Versus: 'Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis.' Et iccirco capite canino pingitur, eo quod cane nichil est sagacius.

78–83 MV³ 9.8.
83–84 MV² 42.
84–85 Virg. *A* 8.698.
85–86 MV³ 9.8.

69 Stilbon] *MV*³: Στίλβων
73 terram] *MV*³: Tartarum
81 Kyrios] *MV*³: Κύριος

CAPITULUM X.

Pallas filia Iovis maxima, que dea belli et dea sapientie et dea omnium artium appellatur. Dicitur et Minerva et Tritonia et Athena. Quod Pallas gigantem Pallantem iuxta fluvium Tritonem secundum fabulam interfecerit, ideo fingitur quia stultitiam in luto miserabilis ignavie iacentem sapientia interfecit. Pallas enim nova sapientia interpretatur, quia sapientia nullum senium nullamque sentit vetustatem. Hinc et Minerva dici meruit, id est non mortalis; min enim non, erva mortalis interpretatur. Idem sonat et Athene, id est immortalis vocatur; et Tritonia quasi tritonoia, id est terna notitia. Nempe veteres sapientes in tribus cognoscendis laborabant, creatore videlicet, creatura, et anima quam mediam iudicabant. Pallasque et Tritonia sine matre nata dicitur. Quia sapientia sine principio est et fine. Ideo virgo dicitur quia sapientia nullas vitii recipit corruptiones, sed perpetua morum gaudet integritate. Ipsa sapientia de capite Iovis nata perhibetur. Quo figmento innuitur quod ex mente summi Dei progenita est sapientia.

Sapientia fert in pectore caput Gorgonis quasi terroris ymaginem, quia illic est omnis ||24r| prudentia que confudit alios <et> imperitos et saxeos comprobat. Triplicem habet vestem, vel quia sapientia multiplex est seu quia celata est. In huius tutela noctua ponitur, quia sapientia etiam in tenebris proprium lumen possidet.

De Pallade et Vulcano fabula fingitur quod Vulcanus cum fulmen Iovi fabricasset, ab ipso permissum accepit ut quicquid vellet presume–

1–11 MV³ 10.1.
11–20 MV³ 10.2.
21–46 MV³ 10.3; cf. Aug. *CD* 18.12.

2 Athena] *MV*³: Ἀθηνᾶ
4 ignavie] *MV*³: ignorantiae
17 et *add.*
20 lumen] *MV*³: fulgorem

ret. Ille Minervam petiit coniugem. Iupiter autem Minerve imperavit ut virginitatem suam armis defenderet. Dum essent in cubiculo, reluctante Pallade Vulcanus certando semen in pavimento iecit. Unde natus est puer cum pedibus draconteis qui Erictonius dictus est, quasi de terra et lite procreatus. Eris nempe terra, ricton lis interpretatur. Hic ad tegendam pedum feditatem, curru primus usus est. Quem conceptum Minerva in cista abscondit et apposito custode dracone duabus sororibus, Pandroso et Aglauro, commendavit.

Vulcanus dictus est ab antiquis voluptatis calor, qui et Iovi fulmina subministrat, id est cuilibet furorem concitat, et ideo Minerve coniungi appetit, quia furor etiam sapientibus aliquando surrepit. Sed Pallas armis virginitatem defendit, quia omnis sapiens ad integritatem morum defendendam contra furiam virtute animi dimicat. Et inde nascitur Erictonius, id est certamen invidie sive terre, inquam, sicut terra corporum, sic et invidie et mundane glorie consummatio est. Et quid aliud surrepens furor sapientie nisi certamen invidie queat generare? Quam quidem invidiam Minerva in cista abscondit, id est sapiens in corde celat. Sapiens enim livorem et dolorem suum minime patefacit. Draconem insuper ei custodem apponit, id est solicitudinem adhibet. Eumque duabus commendat virginibus, Pandroso et Aglauro. Pandrosos enim universale munus, Aglauros tristitie oblivio interpretatur. Sapiens enim siquid ire vel rancoris adversus aliquem portet, id vel benignitati, que omnium naturaliter munus est, commendat, id est ex benignitate ignoscit; vel dum differt ultionem, tandem in oblivionem transfert. ||24^{v}|

De Vulcano vero quorundam est opinio quod dictus sit Vulcanus quasi Volicanus, id est volans candor, et ponitur in specie terreni ignis sicut Iupiter in significationem celestis. Qui ideo claudus fingitur quia ignis numquam rectus sed anfractuosus incedit. Ponitur etiam Vulcanus pro igne obscene cupiditatis, unde et Veneris fingitur esse maritus. Et Lempnius dicitur, id est lutosus. Quia voluptas nonnisi in lutosis mentibus versatur. Dicitur et Mulciber, id est ignis aereus, quasi mulcens imbres. Cum enim nubes altiora petierint, calore in pluvias resolvuntur.

Inter Iovem, Vulcanum, et Vestam dicimus quod ignis Iovis est ethereus, simplex, et innocuus, nichilque perurens; Vesta vero ignis est perpetuus, usibus moralium accommodatus; Vulcanus autem ignis intelligitur noxius et perurens, quale est fulmen. Unde et Vulcanus quasi volans candor dicitur, quod videlicet per aerem volet; a nubibus vero secundum phisicos nascitur. Qui fingitur de femore Iunonis natus et propter informitatem de celo deiectus, ita ut claudus fieret, et in Lempnom insulam decidisse, et a Lempno primitus nomen Lempnius accepisse. Iuno igitur aer est de qua natus est Vulcanus, quia omne fulmen cadit de aere. Et ideo de eius femore cadere dicitur quia de imo aere fulmina nascuntur. Quia vero in Lempnom insulam crebro fulmine iacitur, ideo in eam Vulcanus dicitur cecidisse.

47-67 MV^{3} 10.4.

27 *MV^{3}*: Nam iuxta Servium [G 3.113], χθὼν terra, ἔρις lis interpretatur.

30 Pandroso] *MV^{3}*: Pandorae

31 ab antiquis] *MV^{3}*: secundum Fulgentium [2.14]

32 cuilibet] *MV^{3}*: civibus

37 consummatio] *MV^{3}*: consumtio

40 livorem et dolorem] *MV^{3}*: lenior est et dolorem

58 perpetuus, usibus moralium] *MV^{3}*: publicus, usibus mortalibus

61-2 natus et] et natus

65 imo] *MV^{3}*: uno

Qui dicitur habuisse officinam inter Ethnam et Lipparem propter ignem et ventos, que sunt apta fabris. Est enim Ethna mons ardens; Lipparis una ex insulis quibus Eolus rex ventorum imperavit.

Fulmine vero trifidum vel trisulcum dicimus. Quia fulmen afflat, incendit, et findit; vel quia terreat, puniat, et presagiat. Vulcano famuli qui fulmina fabricent decernuntur Brontes, Steropes, et Piragmon. Brontes a tonitru, Steropes a fulgure, Piragmon a calenti incude nomen accepit. Pir enim ignis, agmon incus interpretatur. De Vulcano, Marte, et Venere quere plus libro duo, capitulo tertio. ||25r|

68-76 MV³ 10.5.
75 Pir, agmon] *MV*³: πῦρ, ἄκμων

CAPITULUM XI.

Venus de Saturno orta est, ut infra plene reperies; hanc Epicurei, qui voluptati student, beatam rem; Stoici vero, qui voluptati renunti-ant, vanam rem interpretantur. Et dicitur a quibusdam Venus quod ad omnia veniat. Nuda pingitur, vel quia crimen libidinis minime cele-tur, vel quia nudi conveniant ad hunc actum, vel quia libido consi-lium cuiuslibet nudet et celari non sinat. Rosas habet quia rose rubent et pungent peccati aculeo. Nempe sicut rosa delectat aliquamdiu, sed mox motu celeri temporis tollitur, ita et libido. Columbe ei consecrantur, eo quod ille aves in coitum fervide fore creduntur, quod innuit earum frequens pullorum educatio. In mari natare depingitur quia libido rebus infert naufragia. Conchilia marina portare fingitur quia hoc ani-mal aperto simul toto corpore in coitu misceatur. Mirtus ei deputatur quia litoribus gaudet hec herba, vel quia, ut medici asserunt, hec arbor plurimis mulierum necessitatibus apta est, vel quia hec herba semen non emittat.

Tres Gratie Veneris et Liberi dicuntur filie unius pulcritudinis, videlicet Pasithea, Eugiale, et Euprosine, que nude pinguntur quia gratia sine fuco, id est non simulata et ficta sed pura et sincera esse debet. Que ideo connexe pinguntur quia insolubiles esse amicitias decet, unde Horatius: 'Segnesque nodum solvere Gratie.' Quod vero una aversa, due nos respicere depinguntur, hec est ratio, quia gratia a nobis simplex profecta, duplex solet reverti, vel due gratie nos respiciunt, divine si affluant et sapientia. Sed tria scilicet pulcritudo non severat et ideo respicit nos a tergo. Que ideo Veneris et Liberi dicuntur filie, quia Gratie per Venerem, que voluptas est, et Liberum, qui pro vino capitur, sepissime conciliantur. Prima Gratia scilicet Pasithea interpretatur attrahens, Eugiale demulcens, Euprosine retinens; quia scilicet amici-tiarum obtentu primum est ignotos allicere, secundum allectos blanditiis permulcere, tertium quos permulseris obsequio retinere. Tres Gratie sig-nificant fidem, caritatem, ||25v| et boni operationi, que dicuntur habere manus ligatas quia caritas nec est sine boni operationi nec sine fide. Re-quire intellectum Senece de tribus Gratiis post capitulum sedecim primi libri.

1-15 MV³ 11.1.
1 Cf. infra, 1.17.
3 quibusdam] cf. Cic. *ND* 2.27.
16-22 . . .reverti MV³ 11.2.
20 Hor. *Carm.* 3.21.22.
24-29 MV³ 11.2.

2 beatam] *MV*³: bonam
14 vel quia] *MV*³: verbenis placatur, quod
15 omittat

CAPITULUM XII.

Bachus, cuius numen dicitur preesse vitibus, filius dictus est Iovis, cuius nomina videbis inferius libro quarto, capitulo de nominibus Bachi. Sed quia nominum eius significationes non satis exponuntur ibidem, in presenti loco breviter eius nominum significata describam. Liber vocatur quod etiam servi ebrii liberi sibi fore videntur. Unde et dicitur: 'Tunc pauper cornua sumit,' id est elationem et confidentiam et prout placet; aliis Liber dicitur quia mares missis seminibus liberet. Quia sicut per Iunonem femine, ita per Liberum mares liberari et purgari dicuntur; vel Liber ideo vocari meruit quod vinum a curis homines liberet. Huius sacra veteres ad purgationem anime pertinere putabant; hinc et vannus, id est cribrum, dicata fuit, quia sicut vanno frumenta, sic eius misteriis homines purgabantur. Sed et libertatis deus ab antiquis creditur, quia quando civitates condebant illi, ut libertatem conferret civibus, sacrificabant. Dicitur etiam Leneus, eo quod mentem deleniat. Dicitur et Pater. Pater autem licet deorum omnium nomen sit generale, tamen proprie Libero coheret semper. Nam Liber Pater vocatur; Hiacus dicitur ab hiando, et Euchius quod interpretatur bonus puer. Item dicitur Briseus, id est exprimens, quia Liber primus vinum ab uva, lac ab ubere, mel de favo dicitur expressisse. Indos vicisse dicitur, eo quod solis calor eos faciat potatores, vel quod ibi sit Phalernum vinum vel Mereoticum. Cuius vini tanta virtus est ut vix quilibet vinosus sextarium in mense bibat, unde Lucanus: 'Indomitum Meroe cogens spumare Phalernum.' Indomitum dicitur quia nec aqua domari potest. A Marone nutritus dicitur, quia Meroe nutritor violentie dicitur. In tigribus sedere depingitur, vel quia violentia feritatem generet, vel quia mentes efferate vino mulceantur. Linces eius currui subiciuntur propter videlicet nimiam perspicacitatem visus. Quia vinum, ut dicunt phisici, modice sumptum acuit ingenium. Iuvenis depingitur quia ebrietas numquam est matura. Nudus pingitur quia vinolenti dum ||26r| indulgent potibus se nudent a substantia, vel quia mentis secreta nescit tegere ebriosus. Iovis femori insutus fingitur et inde progenitus, quia secundum quosdam Nisa mons est Indie Iovi consecratus in quo Liberi feruntur esse crepundia. Et veraciter a Nisa Niseus vel Dionisius dicitur. Frondes edere ad eius sacra ferebantur quia semper iuveni deo semper virentia conveniunt.

Quod rex Tracie Ligurgus, dum Bachum contempneret et vineas extirparet, crura sibi excidit, veritas est quod abstemius fuit et acrioris nature, qui dum propter sobrietatis bonum potum vini interdiceret nec ipse vinum potare curaret, incurrit infirmitatem crurum de qua sanari non potuit.

Bachus de Semele, una filiarum Cadmi, et Iove fulminante natus est. Quatuor fuerunt sorores Cadmi filie, videlicet Yno, Autonoe, Semele, et Agave. Quatuor nempe sunt ebrietatis genera, id est vio-

1 . . .Iovis, MV^{3} 12.1.
2 Cf. infra, 4.1.
5-14 Liber . . . sacrificabant, MV^{3} 12.1.
6 Ovid. *AA* 239.
14-19 MV^{3} 12.2.
19-28 MV^{3} 12.3.
22 Lucan. 10.163.
28-38 . . .nature, MV^{3} 12.4.
41-48 MV^{3} 12.5.

13 conferret] *MV*^{3}: conservaret
24 Marone] *MV*^{3}: Meroe
24 violentie] *MV*^{3}: vinolentiae
25 violentia] *MV*^{3}: vinolentia
32 quosdam] *MV*^{3}: apud Remigium [1.10.11]
43 violentia] *MV*^{3}: vinolentia

lentia, rerum oblivio, libido, insania. Prima namque est Yno que vinum interpretatur; secunda Autonoe, id est semetipsam nesciens; tertia Semele que corpus solutum interpretatur; quarta Agave que dicitur insania. Quia dum insanivit in orgiis Bachi Penthei filii sui caput violenter abcidit.

CAPITULUM XIII.

Hercules Iovis filius esse dicitur. Cuius acta si placet reperire valebis inferius libro nono. Varro XLIII Hercules fuisse commemorat. Nempe dicit omnes qui fecerunt fortiter Hercules fuisse vocatos. Hinc est quod legimus Herculem Tirinthium, Argivum, Thebanum, Libin. Sed et plura facta Thesei Herculi ascribuntur propter factorum gloriam, quia, ut dicemus infra, Hercules virorum fortium gloria interpretatur. Nonnulli proinde propter gesta sui gloria etiam Sampsonem asserunt Herculem fuisse vocatum.

1 MV^3 13.1.
2 Cf. infra, 9.1-5.
2-4 Varro. . . MV^3 13.8.
2 Varro] cf. Serv. *A* 8.564.
6 Cf. infra, 9.3.

CAPITULUM XIV.

Perseus, Iovis filius ex Danaë filia Acrisii generatus, rex fuit predives et prepotens in Asia. Qui volaticus dictus fuit, eo quod regiones multas transierit; proprie nempe Affricam debellavit ubi fuerunt tres sorores regis Phorci filie, Stennio, Euriale, et Medusa, que uno oculo utebantur et intuentes in lapides convertebant. Contra ||26v| has missus Perseus cum clipio cristallino et arpe, quod genus est falcati teli, consilio Minerve eas interfecit. Rei veritas fuerat erant tres sorores unius pulcritudinis, unde fictum est quod uno oculo utebantur; erantque locupletissime, unde et Gorgones, id est georges, id est terre cultrices dicte sunt. Ge enim terra, orgia cultura interpretatur. Sed maxima sororum Medusa patre mortuo successit in regnum. Que quia fuit astutior ceteris dicebatur habere caput crinitum serpentibus. Ad hanc occidendam videtur Perseus usus ymaginario et cristallino clipeo, eo quod consiliis eius per speculatores et insidiatores suos precognitis, inopinate sepe in occursum eius obstiterit fugientis. Hac tandem interempta et capite eius, id est substantia ablata factus ditior, regna magna pluraque conquisivit. Denique et Athlantis regnum invadens auxilio copiarum Meduse, eum in montem fugere compulit; unde per caput Meduse, quod per thesauros accipimus, eum in montem dicitur convertisse. De Gorgonum tamen interfectione subtilior est opinio. Gorgon nempe terror interpretatur. Tres vero Gorgones <quia> tria sunt terroris genera, que etiam per eorum nomina designantur. Stennio namque debilitas interpretatur, id est timoris initium quod tunc iam mentem debilitat; Euriale lata profunditas, id est stupor vel amentia que profundo quodam terrore mentem spargit; Medusa oblivio que non tantum mentis turbat intuitum, verum etiam caliginem visus ingerit; hec enim in omnibus terrori comparatur. Perseus, qui in figura virtutis accipitur, adiuvante Minerva Gorgones

1-19 MV^3 14.1.
19-32 MV^3 14.2.

8 factum
9 georges] *MV^3*: γεωργοί | Ge] *MV^3*: Γῆ
10 orgia] *MV^3*: ἐργία
13 conciliis
21 quia *add.*
23 tunc iam] *MV^3*: tantum
26 omnibus] *MV^3*: hominibus | comparatur] *MV^3*: operatur

interfecit, quia virtus auxilio sapientie omnes terrores vincit, unde Perseus aversus esse dicitur quia virtus versus timorem numquam respicit, sed potius eum despicit et eum speculari dedignatur. Fert clipeum quia omnis terror qui non solum est in corpore, sed etiam in figura, transeat.

De sanguine Gorgonis natus fuisse fertur Pegasus, qui pro fama ||27^r| ab antiquis accipitur. Nam Pegasus fama interpretatur. Quia virtus, dum omnia superaverit et terrorem amputaverit, famam generat consequenter. Unde et volare dicitur quia fama volucris est; unde Virgilius in quarto Eneidos: 'Fama, malum quo non aliud velocius ullum. Mobilitate viget viresque adquirit eundo; Parva metu primo, mox sese attollit in auras Ingrediturque solo et caput inter nubila condit . . . . Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore plume, Tot vigiles oculi subeunt (mirabile dictu), Tot lingue, totidem ora sonant, tot surripit aures. Nocte volat celi medio terreque per umbram, Stridens, nec dulci declinat lumina sompno; Luce sedet custos aut summi culmine tecti Turribus aut altis, et magnas territat urbes, Tam pravi fictique tenax quam nuntia veri.' Hec de fama Virgilius.

Pegasus etiam dicitur Musis fontem ungula sua rupisse, unde et poete bibunt, quo heroes famam vel poete materiam scribendi habent. Quia Pegasus secundum quosdam fons eternus interpretatur et in figura sapentie ponitur. Ideoque pennatus fingitur, eo quod sapientia universam mundi naturam pervolet celeri cogitatione. Ideo Musarum fontem ungula rupisse fingitur quia sapientia poetis, quicquid proloquuntur, administret. Ideo de Gorgonis sanguine natus dicitur, quod terror interpretatur, quia timor initium sapientie est, quod sic probatur quia timore magistri discipulis sapientia crescit, et qui famam timuerit sapiens est. Et bene de occisa Gorgone Pegasus oritur, quia finito et adnullato timore subintrat in quemlibet sapientia. Sed ex opposito stultitia est timenda, unde et in Palladis pectore Gorgon, id est <terroris> ymago, fixa est ut insipientibus semper terrorem incutere videatur.

36 . . .est, MV^3 14.3.
37–45 Virg. *A* 4.174–7, 181–8.
46–58 MV^3 14.3.
53 Cf. Psalmus 110.10; Eccli. 1.16.

44 parvi
48 Quia] Qui | quosdam] *MV*^{3}: Remigium [2.50.16]
58 terroris *add.*

CAPITULUM XV.

Bellerophon ope Pegasi Chimeram interfecit. De quo Bellerophonte fertur quod cum esset receptus hospitio Preti, Antia uxor eius adamavit Bellerophontem, que in Ovidio Methamorphoseos libro quinto dicitur Stenobea. Que quia Bellerophon non consensit secum adulterari, eum apud maritum suum ||27^v| de solicitatione accusavit. Qui misit eum ad Chimeram interficiendam. Quam Bellerophon equo Pegaso residens interemit. Pretus ergo sordidus, Antia contrarium interpretatur, que pro libidine accipitur. Quia nichil est virtuti sic contrarium sicut libido. Hanc Pretus habet coniugem quia libido non potest adherere nisi sordido. Bellerophon vero sapientia consultator interpretatur. Hic Antie non consentit, quia qui in sapientie laborat investigatione omnem

1–3 . . .Bellerophontem, MV^3 14.4.
4–19 Cf. MV^3 14.4.

4 Stenobea] Hoc nomen non in operibus Ovidii apparet; Antia et Sthenoboea autem una persona in MV^1 71 et MV^2 131 describitur, a scholia Stat. *T* 4.589 derivans. | concensit
6 recidens
11 consensit

libidinem a se nititur elongare. Chimera namque fluctuatio amoris interpretatur. Qui ergo libidini renuntiat, necesse est ut contra amorem pugnam suscipiat. Quem equo Pegaso, id est sapientia adiutus, vir virtute preditus facile vincit et occidit. Pegasus etiam equus Neptuni dicitur a pege greco, id est fons. Est autem pege commune nomen omnium fluminum que habent cursus velocitatem. A pege etiam pagus dicitur, eo quod ville nonnisi circa aquas fundari solebant, unde et pagani nuncupati sunt quasi ex uno fonte potantes. Alia expositio de Chimera literalis: Chimera mons est Cilicie cuius cacumen ardet. Iuxta cacumen leones multi sunt. Media autem pascua sunt caprarum. Ima vero montis serpentes tenent. Hunc montem Bellerophon fecit habitabilem, unde satis apte Chimeram dicitur occidisse. De Chimera moralis expositio talis est: triformis pingitur, habens videlicet caput leoninum, ventrem caprinum, caudam serpentinam, eo quod in amore venereo tres sunt gradus, scilicet incipiendi, perficiendi, et penitendi. Primus gradus qui est amor in adolescentia nos invadit ferociter sicut leo; deinde subsequitur libidinis expletio que per capram designatur, eo quod hoc animal in libidinem sit promptissimum, unde et satiri pinguntur cum caprinis cornibus quia numquam libidine satiantur. In postremis partibus draconina est, quia post actionem aculeus penitentie mentem pungit. Primo ergo in amore est inchoare, secundum explere, tertium de peracto crimine penitere. De presenti materia vide infra libro quinto.

19-33 MV^{3} 14.5.
33 Cf. infra, 5.5.

16 pege] *MV*^{3}: πηγὴ
20 Cicilie
21 multi sunt] *MV*^{3}: mansitant
23 apte] *MV*^{3}: aperte

CAPITULUM XVI.

Mars deus belli quem Iuno de Flore dicitur genuisse, cum bella sevirent apud Romanos dicebatur Gradivus, in pace vero Quirinus. Gradivus eo quod gradatim pergitur in prelium, vel quasi gratus ||28r| divus, id est potens deus. Qui cum tranquillus esset Quirinus dicebatur; unde ei a Romanis duo templa sunt statuta, unum infra urbem, eo quod custos et tranquillus esset. Alterum extra urbem quasi bellator Gradivus. Bellantium autem numen dicitur quia stella ei deputata, utpote proximo loco supra solem locata, putatur esse ardentissima, et in suis domiciliis constituta bellum presignare existimatur. Gramen ei dedicatur quia ex humano cruore multis in locis procreatur. Est autem gramen species herbe, licet generaliter omnis herba vocetur gramen, sicut robur omne lignum cum sit et species; unde et Romani moris fuerat cum de re bellica ageretur et Marti sacrificaretur aras constituere gramineas.

Mars a Iunone sine patris admixtione natus dicitur, quia eius stella si sola per aerem, id est Iunonem, in utroque domiciliorum suorum apparuerit, id est in Scorpione vel in <Ariete>, ardorem bellicum significare putatur ortu suo. Sed tamen si Iupiter vel Venus consors fuerit creditur ipsius violentiam vel mitigare vel penitus adnullare.

Iuno Martem filium suum diligere dicitur et pelices suas et earum

1 Cf. Ovid. *F* 5.229-60.
1-18 cum. . . MV^{3} 11.10.

16 Ariete *hiatus in ms.; add. super auctoritatem Arn. comm. in Lucan., 1.651.*
17 consors] *MV*^{3}: coorta

filios persequi, ut Herculem et multos alios, quia fere quolibet aere turbulento Mars humanis visibus exhibetur. Sidus vero Herculis non videtur aut saltem aufert eis ne tinguantur equoreis fluctibus, sicut inferius dicetur de septentrionibus—vide in Calixto, libro duo, capitulo duo.

Cometas quidam existimant stellas naturales ortas de quinque planetis certisque temporibus apparere et interdum bonum, interdum pessima significare. Nam si de Venere aut Iove fiant optima pronuntiant, sed si de Marte aut Saturno deteriora. Nam Mercurialis talis est semper qualis est ille cui adheret.

Et sunt stelle signantes prospera vel adversa, secundum Stoicos ultra XXXII de quibus. Sirius stella est in ore Canis posita, que et ipsa, quantum in ipsa est, pestifera est. Sed pro qualitate adiacentium aut vincitur aut maioribus utitur viribus; et pestilentiam creat sine dubio, si in hanc rem ceterorum etiam consenserit cursus astrorum; hinc est quod etsi semper certo tempore oriatur, non tamen semper est noxia. Durat autem eius violentia plerumque toto anno, ||28^{v}| plerumque diebus paucis.

Apparet autem Canis post Orionem, cuius comes Canis fuisse fingitur dum esset venator. Sirius vero a tractu, id est a signi longitudine appellatur, quia siron traho interpretetur. Est autem sidus maximum, ita ut sua magnitudine trium signorum spatium videatur occupare. Ortus eius pestifer dicitur quia mense iunio, quando sol in Cancro ponitur, cum ipse oritur Canis et tunc solent homines nimio caloris ardore laborare. Sed et ipse Orion magnitudine sua multis diebus oritur. Hic Diane sagittis vel Scorpionis aculeo fingitur interisse. Sed tamen, ut vult Servius, a Scorpione interemptus dicitur melius quam Diana, quia Scorpione oriente Orion occiderat.

Fabula de Orione talis est. Cum Eripion rex non haberet liberos suscepit hospitio Iovem, Neptunum, et Mercurium. Qui cum hortarentur ut ab eis aliquid peteret, liberos sibi concedi postulavit. Tunc illi intra corium immolati sibi bovis urina facta, preceperunt ut obrutum terra completis maternis mensibus aperiret. Quo facto inventus est puer, cui impositum est vocabulum ab urina, ut oyreon diceretur. Oireon ergo postea venator factus, cum vellet cum Diana concumbere, ut dicit Horatius, eius sagittis interemptus est; ut Lucanus ait, immisso Scorpione periit, et miseratione deorum relatus est inter sydera et famosum signum tempestatibus facit; verisimilius est autem eum a Scorpione interemptum, quia Scorpione oriente Orion occidit. Item de alio Orione legitur, quod Orion ex Lesbia civitate fuit optimus citharedus. Qui cum Tharentis Corinthum cum multis opibus peteret, et videret sibi in mari a nautis tendi insidias, petiit ut cithara caneret paululum. Ad cuius sonum cum delphines convenissent, exiliit supra unum et ita periculum imminens devitavit; unde Virgilius: 'Orpheus in silvis, inter delphines Orion . . . .'

25-47 MV^3 9.6.
46 Serv. *A* 1.535.
48-58 MV^2 129.
55 Hor. *Carm.* 3.4.71-2. | Lucan. 9.836.
58-63 . . .devitavit, MV^2 172.
63 Virg. *E* 8.56.

26 certisque] *MV^3*: cunctisque
30 secundum] f.^{m}
31 XXXII] .3.
34 concenserit | hinc] hunc
40 siron] *MV^3*: *σύρω*
42 pestifer] *MV^3*: aestifer | *post* iunio *del.* quia
48 Eripion] *MV^3*: Oenipion
55-6 *MV^2*: inmisso Terra auxilio Scorpione
59 Orione *et* Orion] *MV^2*: Arione *et* Arion
64 Orion] *Virg.*: Arion

Sane gentiles opinantur actuum proventuumque varietates vi et potestate siderum provenire, dicuntque nos dum vivimus omnia ipsis quinque planetis physica ratione debere. Namque cum nasci ceperimus a Sole sortimur spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Iove honorum desiderium, ||29r| a Venere cupiditates, a Saturno humorem. Que omnia singulis reddere asserunt extinctos.

Theseus mortua Ypolite uxore sua sorore regine Amazonum, Minois et Pasiphes filiam Phedram nomine superduxit Ypolito filio suo, quem susciperat de Ypolite supradicta; Ypolitus vero, cum Phedra noverca sua ipsum de stupro interpellantem sprevisset, falso delatus est apud Theseum patrem suum quod ei voluisset vim intulisse. Theseus ergo patrem suum Egeum in ultionem proprii filii solicitavit. Qui agitanti currus Ypolito immisit phocam, qui est bos marinus, id est piscis quem nos scele vocamus; hoc monstro equi Ypoliti territi eum distraxerunt. Sed Diana, eius castitate commota, revocavit eum ad vitam per Esculapium filium Apollinis et Coronidis, qui est natus exsecto matris utero. Quia cum Apollo audisset a Corvo custode Coronidis eam adulterium commisisse, iratus Coronidem maturo iam partu confixit sagittis. Corvum vero fecit ex albo nigrum, et desecto ventre Coronidis produxit Esculapium, qui factus est medicine peritus; hunc ex post Iupiter, quia Ypolitum ad vitam revocaverat, fulmine interemit. Unde Apollo iratus Ciclopes fabricatores fulminum confixit sagittis. Ob quam rem a Iove iussus septem annis armenta regis Admeti pavit circa Amphrisum divinitate deposita. Diana vero Ypolitum revocavit ab inferis et in Aricia nimphe commendavit Egerie et eum Virbium, quasi bis virum, iussit vocari. Sed hec fabulosa sunt et inferius exposita. Attamen cum Ypolitus castus ubique inductus sit, et qui solus semper habitaverit, habuisse in filium dicitur. Revera autem Virbius in poetria est numen coniunctum Diane, ut Atis Berecinthie, Minerve Erictonius, Adonis Veneri, Bacho Silenus, Iunoni Iris. Expositio fabule Phetontis:

Sol, Phebus, et Apollo idem sunt et etiam Titan et Pheton,Phetontis et Peon, Peonis, qui et Esculapius idem sunt Apollo filius Iovis, et Peon filius Apollinis. Secundum fabulam Pheton habuit duplicem casum, id est depressionem et ruinam. Ultimam depressionem Phetontis sequebatur depressio Phebi vel casus. De prima depressione Phetontis dicunt sic fabule: Phebus est auriga Iovis ridebatur Phetonti quod potuit iuvare patrem suum et equos melius ||29v| regere quam pater suus. Unde ascendit currum et aurigavit ut scivit, sed non recta semita, unde tantum ignem produxit velocitate motus quod se et terram cremavit.

De ista fabula, sicut habetur in Thimeo, docuit sacerdos Says civitatis Egipti Solonem quid subfuit veritatis, dicens Phetontem Solis filium affectantem officium patris currus ascendisse luciferos et per exorbitationem exussisse terram. Sed res vera est quod longo intervallo

65-70 MV[3] 9.7.
71-84 . . .peritus, *85-90, 92-94,* cf. MV[2] 128.
106-112 Chal. 22.

69 horum
81 audisset] dedicisset
87 septem] *MV*[2]: novem
94 Cillenius

circumvolutionis mundi exhorbitatio fit, quam inflammantis vastitas consequatur est necesse. Tunc hii qui in locis siccis et editis mansitant magis pereunt quam qui in litoribus et fluviis hec ibi. Quod Pheton propter talem exhorbitationem deicitur ab officio non plus significat nisi quod post talem exhorbitationem sol redeat ad rectos motus. Quando autem sol movetur motu suo, tunc dicitur ipse regere currum. Quando autem a motu illo exhorbitat, dicitur Pheton filius suus regere et calores excessivos causare. Qui tamen reprimuntur redeunte calore ad pristinum cursum suum.

Pro secunda depressione Phetontis est advertendum quod ista nomina Iupiter, Saturnus, Apollo, Pheton, et multa alia nomina planetarum in fabulis continent magnam equivocationem, quoniam aliquando stant pro hominem, aliquando pro planeta deteriando vel aliquo corpore vel loco celesti. Poete quandoque fabulam unam component applicantes dupliciter ad personam vel planetam, ut hic: Apollo fuit filius Iovis. Qui Apollo habuit filium nomine Peonem vel Phetontem, cognomine Esculapium. Qui spatiando vidit basiliscum pugnantem cum quodam pastore. Et mirans pastorem posse resistere, cum basiliscus solo visu interficit hominem, tandem percepit pastorem habere sertum de floribus, et statim putavit aliquem herbam esse in serto cuius virtute a basilisco superari non posset. Qui retro pastorem veniens, faciens eum medium inter se et basiliscum, sertum rapuit et mox pastor occubuit et basiliscus fugit. Pheton vero singulas herbas in ore pastoris posuit singillatim, et ex tactu unius surrexit pastor. Unde Pheton illa herba Ypolitum, quem noverca occiderat, a morte suscitavit et alios etiam ab aliis infirmitatibus curabit, unde invidens ei Iupiter, ||30r| vel, ut dicit alia fabula, iratus quod plures voluit suscitare, iussit fabros suos Ciclopes fulmina fabricare quibus Pheton fulminatus est. Unde Apollo commotus Ciclopes interfecit. Iupiter iratus contra Apollinem, de consensu deorum eum divinitate privavit et ista necessitate compulsus dedit se Admeto regi, ut esset pastor gregis sui. Et sic in casu Phetontis quem sic vindicavit, id est ex casu isto quia eum vindicavit, precipitatus est et de auriga Iovis factus est pastor Admeti. Prima pars fabule interpretatur de personis, quia ad litteram Peon fuit peritissimus medicus qui morti proximos vel intoxicatos virtute herbarum a morte revocavit, ne scilicet morirentur, unde per yperbolem dicitur eos a morte suscitasse. Et quia tanta fuit in eo sapientia, Apollo deus sapientia dicitur pater eius; secundum Garlandum Pheton est 'autumpni lucidus ardor Cum, dempto fructu, terra circumicta iacet.'

Seneca libro de beneficiis de tribus Gratiis ita scribit: Dicam, inquit, conare tres Gratie et quare sorores sint et quare manibus implexis et quare virgines et iuvenes et ridentes et quare soluta veste et perlucida depinguntur. Dicimus unam esse que det beneficium. Alterum que accipiat. Tertiam que reddat. Alii dicunt tria beneficiorum esse genera:

147–148 Garl. *Integ.* 115–6.
149–162 Seneca *De beneficiis* 1.3.3–5.

148 circumicta] *Garl.*: cremata

Promerentium, Reddentium, Accipientium; et ob hoc consertis manibus, quia ordo beneficii per manus transeuntis nichilominus ad dantem revertitur et totius speciem perdit. Si interruptus est pulcherimus, si coheserit et vices servat. Ideo ridentes quia horum vultus hilares sunt qui dant vel accipiunt beneficia. Iuvenes quia non debet memoria beneficiorum senescere. Virgines quia beneficia debent esse incorrupta et sincera et sancta, in quibus nichil alligati debet esse nec ascripti. Solutis itaque tunicis utuntur et perlucidis quia beneficia volunt conspici, non celari.

Notandum etiam quod Venus dicta est Dione a Dian, quia pulcra sit, vel a matre sua que similiter dicta est Dione, quasi duos nectens in amore. ||30v| Non enim potest expleri amor sine duobus; vel Dione quasi ex duobus nata, unde Dioneus,-a,-neum, id est Venereus, unde Virgilius: 'Ecce Dyonei processit Cesaris astrum.' Et Ovidius secundo Fastorum: 'Terribilem fugiens quondam Typhona Dione.'

Quod in fabulis aliquando lateat veritas patet per ystoriam Persei et Athlantis. Perseus enim dicitur Gorgonem occidisse et cum eius capite Athlantem maximum gigantem in montem, qui Athlas dicitur, convertisse; quia scilicet Perseus strenuus Gorgonem filiam Phorci regis in insulis meridionalibus, que Gorgones dicuntur, occidit et caput eius, id est divitias regni et substantiam tulit, cum quo exercitum congregavit, ita quod Atlantem regem Affrice superavit et populum in montem fugere coegit, et sic in montem mutatum poetice fingitur extitisse.

163-166 . . . Venereus, Huguccio, s.v. 'Dian.'
167 Virg. *E* 9.47.
168 Ovid. *F* 2.461.
169-176 PB Prologus.

156 spem
164 nectens] *Huguccio*: vertens

CAPITULUM XVII.

Saturnus pingebatur senex homo, curvus, tristis, et pallidus; in una manu falcem tenebat et in eadem draconis portabat effigiem, qui dentibus caudam propriam commordebat. Altera vero manu filium parvulum ad os applicabat et eum dentibus devorabat. Caput etiam galeatum, amictu coopertum habebat; et quatuor iuxta se habebat liberos, id est Iunonem, Iovem, Neptunum, et Plutonem, quorum Iupiter patris virilia amputavit. Et mare insuper ante eum pictum erat in quo dicta Saturni virilia proiecta videbantur. De quibus Venus puella pulcherima nascebatur. Iuxta ipsum autem Ops uxor sua in cuiusdam matrone similitudinem picta erat, que opem omnibus dabat et panem pauperibus porrigebat. Expositio literalis:

Saturnus primus planetarum est, qui dicitur senex quia cunctis planetis tardius movetur et facit tardius cursum. Falcem curvam habere dicitur, pro eo quod ille est retrogradus planeta qui cursum retro curvare videtur. Filios suos devorat quia omnis qui in constellatione Saturni nascitur raro vivit. Filius eius Iupiter dicitur eum castrare, quia ad literam sidus Iovis, ||31r| quod sibi immediate subiungitur, virtutem eius vel malitiam dicitur temperare. Qui eum expellere de regno dicitur, eo quod stella Iovis quandoque se exaltat in Saturni circulo. Ops autem,

1-37 PB Pro. 1.

11 literalis] *PB*: naturalis
13 Fascem

id est terra, eius uxor dicitur, eo quod influentia eius respicere dicuntur terram et per eius influentiam bona terrestria generantur. Hec autem dicebatur mater deorum, quia terra est mater omnium hominum. Dicitur autem Ops, secundum Fulgentium, quia esurientibus frugum largitione obtulit; Berecinthia, secundum eundem, dicitur montium domina; de hoc tractabitur inferius; sequitur expositio literalis:

Saturnus rex Crete fuit. Cui frater eius Titanus dixit quod quidam filius eius erat ipsum expulsurus de regno, propter quod consuluit ut omnes filios suos devoraret et sic fati malitiam declinaret. Devoravitque Iunonem, Neptunum, et Plutonem. Et post genuit Iovem de Cibele, qui expulit eum regno suo. Saturnus igitur fugiens in Italiam a Iano, qui tunc regnavit ibidem, receptus est. Saturnus igitur in agricultura magnum impendens exercitium in partem imperii admissus est a Iano, et per annone prerogationem populos ad se trahens, a saturando Saturnus meruit appellari. Hunc mestum describunt poete: tum quia bello victum, tum quia de regno expulsum. Vel secundum astrologos ideo dicitur mestus quia stella Saturno deputata semper tristitiam denunciat ortu suo.

23 Fulg. 1.2.
25 Cf. infra, 10.3.

20 influentia] fluenta
25 literalis] *PB*: historialis
36 tristia

CAPITULUM XVIII.

Iupiter Saturni filius, cui celum et celi regimen in sorte cessit, pingebatur in throno eburneo in sua maiestate sedens, sceptrumque manu tenens, fulmina et altera manu mittens inferius, et gigantes repressos fulmine sub pedibus suis tenens. Iuxta eum erat quedam aquila que volabat, et inter pedes suos quendam puerum pulcherimum scilicet Ganimedem rapiebat. Expositio:

Iupiter dicitur quasi iuvans pater. Per Iovem enim intelligunt poete ignem sive calorem, qui depingitur sedens ||31v| in throno tamquam rex quia Iupiter, qui et ether dicitur, elementorum possidet principatum, et secundum mathematicos yovialis stelle radiatio hominibus confert honores propter quod sceptrum tenere describitur. Fulmina emittit quia ab igne superiore per aerem ad inferiora ignis descendere estimatur. Aquilam habet quam, refert fabula, Iovi contra gigantes dimicanti fulmina ministrasse, cuius rei causa hec est: Iupiter rex erat Crete expulso patre suo qui dum contra Titanos, id est Tytani filios qui superius frater Saturni dictus fuerat, bellum suscepisset et sacrificium fecisset, in victorie auspicium aquila sibi apparuit volans. Cuius cum vicisset augurio aquilam sibi fecit auream, et quia tali auspicio consecuta est victoria, fictum est quod ei dimicanti aquila fulmina ministrasset; unde a felici augurio natum est ut aquile militum castra sequantur; unde Romani in suis signis bellicis aquilam fecerunt, ut sicut hec est rex avium, sic ipsi principatum in mundo generalem se optinere probabant.

1-31 PB pro. 2.
16 Cf. supra, 1.2.

1 regimen] *PB*: regnum

Tytani fabulose domini ab irata Terra contra deos procreati ad eius ultionem, sed ipsi a diis victi sunt precipue per fulmina Iovis. Et quia Sol noluit interesse in ceteris, sed ab iniuria numinum abstinebat, celum meruit et adhuc pristinum nomen tenet, unde appellatur Tytan. Ganimedes regis Tytanorum filius a Iove transformato in aquilam raptus est ad illicitum eius concubitum. Ex post translatus in celum dicitur et factus pincerna deorum, unde ipse est signum quod Aquarium dicimus quia constat esse pluviosum.

28 Tytanorum] *PB*: Troianorum

CAPITULUM XIX.

Mars tertius deorum depingitur, pro eo quod hec stella in planetarum ordine tertia continetur. Erat ergo figura Martis ymago furibundi hominis in curru sedentis, galeam habentis in capite et flagellum in manu portantis. Ante eum vero lupus pingebatur, qui est in tutela sua. Expositio:

Ista poete fingere ad ostendendam naturam stelle Martis, que calida est et sicca et ideo colerice ||32r| complexioni dicitur dominari. Et propter hoc pingitur homo furibundus, et ideo eius efficacia mediante bella dicuntur moveri, et ideo fingebatur in curru galeatus.

1-9 PB pro. 3.

7 post colerice *del.* conlerice

CAPITULUM XX.

Apollo quartus deorum dicitur, qui propter hoc quarto loco ponitur quia sol, qui Apollo dicitur, quartum locum tenet in celo. Iste pingebatur nunc in forma iuvenis, nunc puerili facie, nunc vero senili, apparens in capite diversimode ut prefertur. Super caput portabat tripodem auream et in una manu sagittas et arcum et pharetram. In altera vero tenebat citharam. Sub pedibus erat pictum monstrum quoddam cuius corpus erat serpentinum et habebat unum caput caninum, aliud vero lupinum, tertium leoninum; que quamvis inter se essent diversa in corpus tamen unum conveniebant, et unam caudam serpentinam habebat. Iuxta Apollinem vero viridis laurus pingebatur et corvus niger volans desuper, avis scilicet Apollini consecrata. Sub lauro Muse carmina dicebant et circa Apollinem maximam melodiam facere videbantur. A longe vero Phiton serpens maximus pictus erat, quem una Apollinis sagitta per medium transfigebat. Expositio:

Apollo est sol, qui iuvenis pingitur quia singulis diebus oritur. In diversas enim etates se variat quia secundum horas diei sol continue se mutat. Mane potest dici puer quia rubet, meridie vir quia fervet, sero senex quia pallet. Arcum tenet et sagittam emittit quia sol yridem causat et radios suos ad nos mittit. Citheram portat quia celestis armonie sonos modificat. Tripodem habet in capite propter tria beneficia, id est splendorem, calorem, et interiorem vigorem quem in cunctis viventibus operatur. Monstrum cum tribus capitibus est tempus quo quid ab ipso tripliciter mensuratur. Quia scilicet canis est blandiens est tempus

1-31 PB pro. 4.

Rubr.: Cap. 30^{m}.

14 Expositio] *PB*: Expositio literaliter

futurum, eo quod semper per spem futurorum homini blanditur. Lupus tempus preteritum quia more lupi rapit et effugit, dum subito volvitur. Leo significat presens tempus quia stat et fugere dedignatur. ||32v| Laurum, corvum, et Musas sibi appropriat, in quantum scilicet corvus in estate mediis fervoribus nidificat, lauri virior in estate durat, Muse subtiles persone dependent, que subtilitatem ingenii sibi debent. Unde iste Apollo prudens dicitur pro eo quod luce sua et significatione occulta manifestantur.

CAPITULUM XXI.

Venus, quintum signum inter planetas, pingebatur puella pulcherima nuda et in mari natans, et in manu dextera concham marinam tenens, que rosis erat ornata et a columbis circumvolantibus comitata. Vulcano deo ignis, rustico turpissimo, in coniugium assignata. Ante quam stabant nude iuvencule que tres Gratie vocabantur, quarum duarum facies ad nos converse erant, una vero in contrarium aversa videlicet a nobis; cui etiam Cupido alatus et cecus assistebat, qui sagitta et arcu Apollinem sagittabat, propter quod diis turbatis ad matris gremium puer timidus fugiebat. Expositio:

Ista literaliter attribuuntur illi planete que est feminee complexionis et ideo in specie pingitur nude puelle. Est etiam calida et humida et ideo Vulcano, id est igni, dicitur maritata et mari exposita et immersa, ut sic calori et humori videatur esse coniuncta. Et ideo dicitur Cupidinem deum amoris, id est carnis concupiscentiam, peperisse, pro eo quod caliditate et humiditate sua ista stella fertur carnis concupiscentiam excitare.

1-16 PB pro. 5.

CAPITULUM XXII.

Mercurii talis figura erat: pingebatur homo qui in capite et in talis habebat alas, et in manibus virgam que habebat virtutem sompniferam, que circumsepta erat serpentibus, et gladium quem harpen vocabant; habebatque fistulam factam de calamo Siringe, id est arundinis, quam ad os suum applicabat. Galerum vero sive capellum in capite portabat; coram ipso erat gallus sibi specialiter consecratus. Ex altera parte erat Argus, cuius caput erat oculis plenum, qui coram eo iacebat occisus. Iste Mercurius dicebatur deus mercatorum et furtorum. Quia quando volebat de viro in feminam et de femina in masculum se mutabat. De albis vero nigra et nigris ||33r| alba quando voluit faciebat; aliqui pingebant eum cum capite canino. Expositio:

Mercurius alatus fingitur quia stella sua dicitur citissime facere cursum suum. Et quia iste planeta operatur ad eloquentiam et mercaturam et furta, ideo fictus est habere virtutem sompniferam, eo quod eloquentia sopit et decipit etiam oculatos. Quapropter etiam caninum caput habere fingitur quod latratum eloquentie significat. Habebat in capite galerum sicut mercator et gallum qui devigilat mercatores.

1-17 PB pro. 6.

7 qui] quia

CAPITULUM XXIII.

Diana que est Luna et Proserpina et Echate est septimus planetarum. Ista pingebatur in specie unius domine, sagittam et arcum tenentis, cervos timidos in venatione sequentis, circa quam chori erant Driadum, Naidum, Nereidum, id est chori nimpharum silvarum, montium, fontium atque marium, cum choris Satirorum cornutorum qui dii dicebantur agrorum. Expositio:

Luna est mater humoris et ideo habet in silvis, montibus, et in mari et in fontibus humorem multiplicare et in agris herbas et semina procreare. Solet etiam venatores de nocte illuminare et sic venationis necnon et silvarum debet esse dea. Quapropter deam silvarum, montium, et fontium gentiles eam dicebant et estimabant.

1-11 PB pro. 7.

11 fontium] montium

CAPITULUM XXIV.

Minerva dea sapientie et de cerebro Iovis nata, que et Pallas dicta est, pingebatur in similitudinem cuiusdam domine armate cuius caput yride circumcinctum erat, cassis sive cresta caput desuper contegebat. Ipsa autem lanceam tenebat in dextera, in sinistra vero scutum cristallinum, quod caput monstruose Gorgonis cinctum serpentibus habere videbatur. Hec igitur oculos splendentes habebat et vestes triplici colore distinctas. Iuxta se vero habebat olivam viridem pictam et desuper avem noctuam volitantem.

Antiqui posuerunt tres vitas scilicet Contemplativam, Activam, et Voluptuosam. Primam assignantes philosophis studiosis, secundam divitibus, tertiam vero carnalibus, et quamlibet illarum vocaverunt deam et cuilibet pinxerunt suam ymaginem, ||33v| ita quod Minerva fuit prima, Iuno secunda, tertia vero Venus.

1-13 PB pro. 8.

CAPITULUM XXV.

Iuno picta fuit in similitudinem aeris eo quod veteres ipsam et uxorem et sororem etheris dixerunt. Uxorem quia sub eo et ab eo calorem quo inferiora <foveat> velut semen in matrice videtur recipere. Sororem quia prope eum est; virginem tamen eam dicunt quia de aere nisi aliud assit nichil generatur. Yridem et nimphas sibi attribuunt quia yris in aere gignitur et nymphe, id est nubes, in aere generantur; et ideo Neptunus, id est mare, dicitur nutritor Iunonis, quia fumi de mari ascendentes cum aere se miscent et sic videtur quod sibi alimentum aliquod subministrat.

Antiqui dixerunt Iunonem esse deam regnorum et divitiarum, Iovis coniugem et sororem, sed tamen fuisse virginem et intactam, Neptuni nutriciam et alumpnam. Cuius ymago ergo erat femina tenens sceptrum in dextera. Caputque eius nube velabatur et vestis eius multicolor pingebatur; yris vero que sibi sacrata erat que ipsam in circuitu ambiebat; nunciamque Iunonis populis Yridem appellabat. Pavones

1-17 PB pro. 9.

3 foveat] rēeat

ante pedes eius ambulant et a dextris et a sinistris eius subsidebant. Avesque Iunonis specialiter dicte erant.

16 ambulant] *PB*: lambebant

CAPITULUM XXVI.

Cibeles mater deorum dicta fuit, id est terra, que deos genuit; que etiam dicebatur Berecinthia et Pessinuntica et Ops uxor Saturni, sicut dictum est supra capitulo de Saturno. Huius erat ymago femine sedens in curru volubili, lapidibus preciosis et metallis vestita, et coronam de turribus portabat in capite, quam sequebantur galli et leones domiti currum ipsius trahebant, et habebat clavem in manu. Expositio:

Istud autem exponitur literaliter sic: terra pingebatur ut femina quia poete aquam et terras feminas appellant; hec enim incumbunt et patiuntur et influentiam ab igne et aere recipiunt. In curru volubili vehitur quia terra pendet in aere; ideo sustinetur rotis quia mundus rotatur et volubilis est; leonibus fertur ut ostendatur materna potestate totum mundum posse superare. Omnis enim feritas ||34r| materne subest affectioni. Erat vestita lapidibus et metallis quia terra est mater omnium lapidum et metallorum. Galli eam dicuntur sequi quia eius sacerdotes castrati erant, qui et Coribantes dicebantur et per gallos significantur. Coronata fuit turribus ad significandum quod in terra sunt civitates, turres, et castra. Clavem manu tenebat quia verno tempore <terra> aperitur et clauditur hyemali. Ista Cybeles irata contra deos gigantes fingitur procreasse et ad eos impugnandum Iovem etiam celum creasse. Erant autem Tytani gigantes cum pedibus serpentinis, ex quibus Sol fuit unus, qui reptare dicitur, ut dictum est supra capitulo de Iove.

1-21 PB pro. 10.
3 Cf. supra, 1.17.
21 Cf. supra, 1.18.

2 Pessinuntica] *PB*: Pessimuntia
11 potestate] *PB*: pietate
17 terra *add.*
18 procreasse] *PB*: protulisse
21 reptare] *PB*: restare

CAPITULUM XXVII.

Neptunus deus dicebatur aquarum. Cuius ymago fuit similitudo hominis coronati in mari natantis, vel saltem cuiusdam numinis maria gubernantis. Et habebat in manu tridentem pro sceptro regio cum quo percutiebat quoddam saxum et inde quendam equum acerimum educebat. Greges etiam Tritonum circa eum natabant et regem equoris adorabant. Sunt autem Tritones pisces qui tubas in ore portant. Cum quibus quia tubicinare videntur antiqui eos quedam marina numina esse credebant. Dicitur autem Neptunus quasi nube tonans, eo quod de vaporibus de terra ascendentibus tonitrua in nubibus generantur. Neptunus quia a nando dicitur, sicut Portunus a portu, pingitur cum tridente propter triplicem potestatem vel proprietatem aque que scilicet est natabilis, fluxibilis, et potabilis. Cum equo pingitur ad denotandum inquietantem celeritatem; pingitur etiam cum Tritonibus ad significandum tubicinaris sonoritatem, vel quia aqua tribus elementis circuitur, id est igne, aere, atque terra.

1-16 PB pro. 11.

CAPITULUM XXVIII.

1-12 pro. 12.

Pan ab antiquis dictus fuit deus nature et in similitudinem nature universalis fuit ab eis figuratus. Pingebatur nempe homo cornutus cum

facie rubicunda, ||34v| in cuius pectore stellarum plurium erat forma, caput eius insuper stellatum pingebatur, femora eius cum herbis et arboribus pingebantur. In ore eius fistula septem calamorum ponebatur; pedes vero caprinos habebat. Cum amore fingebatur luctatus et ab eo victus. Ista fuit ymago nature secundum Fulgentium et Rabanum. Facies rubea cum cornibus representabat superiorem partem mundi, scilicet ignem et etherem cum radiis; pectus stellatum significat stellas; septem calami septem planetas; femora arbustosa significabant flores, arbores, et herbas; pedes caprini designabant animalia et bestias. Istum amor superat quia ad literam amor naturam superat atque domat.

Servius super Virgilium ita describit figuram nature: Pan deus fuit rusticorum formatus ad similitudinem nature, unde et pan dictus est, id est totum. Cornua habet in similitudinem cornuum radiorum solis et lune; facies eius rubet ad ymitationem etheris. In pectore habet nebridem stellatam, id est corium cervi ad ymaginem stellarum. Inferior vero pars eius hispida depingitur ad significationem arborum, virgultorum, et ferarum. Caprinos pedes habet ut ostendat soliditatem terre. Fistulam habet septem calamorum propter armoniam celi in qua septem toni sunt, scilicet 'septem discrimina vocum'; pedes circulo coniunguntur propter annum qui in se recurrit; hic ergo pan, quia totius nature deus est, a poetis fingitur cum amore luctatus et ab eo victus quia ut legimus: 'Omnia vincit amor.' Pan vero secundum fabulam dicitur amasse Siringam nympham, quam cum sequeretur illa implorato terre auxilio conversa est in calamum arundineum quem mox Pan incidit et fistulam sibi fecit. Quod interpretatur isto modo:

Natura humana cum modulis delectaretur adamavit Siringam nympham, id est fistulam de limpha. Et dum insequeretur studendo quomodo eam comprehenderet terra sub aquis produxit arundines. Quarum calamos homines inciderunt et exinde primo fistulas aptaverunt, unde Virgilius: 'Pan primus calamos ||35r| cera coniungere plures Instituit, Pan curat oves oviumque magistros.'

7 Fulgentius] sic habet PB, sed autem Fulgentius non Panem describit; cf. MV3 8.2, derivans ab Varrone per Servium *E* 2.31; Rabanus, *De universo* 15.6 (*PL* 111.429C).

13-27 Serv. *E* 2.31.

21 Virg. *A* 6.646.

24 Virg. *E* 10.69.

32-33 Virg. *E* 2.32-33.

4 caput] *PB*: pectusque

CAPITULUM XXIX.

Sicut ponit Rabanus et Fulgentius antiqui attendentes vini virtutem ipsum esse deum in natura putaverunt quem Bachum nominaverunt et eidem certam ymaginem pinxerunt. Sicut enim dicit Plato in libro qui Thimeo ascribitur, posteriorum genus hominum ruricole et pastores virtutes et potestates ad usum mundi hominibus datas a divina gratia pro diis coluerunt, ut agriculturam, vindemiationem, et huiusmodi. Deinde poete lucri causa et favoris easdem scientias in membra effigiaverunt et proprias eas nominibus vocaverunt, ut scientiam colendi agros Saturnum, vineas Bachum, turpes actus hominum ut luxuriam et venerem inter deos venerantes, sic quoque loco religionis superstitio est exorta.

1-18 . . .generat *PB* pro. 13.

1 Rabanus, *De universo* 15.6 (PL 111.429C); Fulg. 2.15.

3 Plato] MV3 5.2, ab Chal. 128.

4 posteriorum] *MV3 et Chal.*: priscorum

9 Saturnum] *MV3*: Cererem

Erat igitur ymago Bachi puer cum facie muliebri, cum pectore nudo, cum capite cornuto, qui super tigrides equitabat et erat caput suum vitibus coronatum. Expositio:

20-23 Hor. *Epist.* 1.5.16-20.
24-30 PB pro. 13.

Bachus puer pingitur quia vinolenti, et qui nimis potant de vino efficiuntur ut pueri insensati. Muliebrem habet faciem propter ardorem et concupiscentiam mulierum que per vinum in ebriis generatur. Cornutus dicitur quia vinum ultra modum potatum cornua superbie generat, et facit homines audaces ad quodlibet facinus perpetrandum, unde Horatius in Epistolis: 'Quid non ebrietas designat? Operta recludit, Spes iubet esse ratas, ad prelia trudit inhermem, Solicitis animis onus eximit, addocet artes. Fecundi calices quem non fecere desertum, Contracta quem non in paupertate solutum?'

Ulterius Bachus dicitur super tigrides equitare qui sunt furibunda animalia et velocissima, eo quod vinum furorem inducit et iracundiam, et de facili currunt ebrii post conceptus suos et desideria cordis sui. Nuda tamen pectus habere dicitur quia archana solent ebrii faciliter revelare, vel quia vinum solet homines depauperare et divitiis denudare. Coronatur vitibus quia ebriosi vites, id est vinolentiam, summam felicitatem et gloriam arbitrantur.

CAPITULUM XXX.

1-69 . . .sustineat, PB pro. 14 .

Pluto filius Saturni dictus est ab antiquis inferorum ||35v| regnorumque, tenebrarum, et animarum de corpore decedentium deus; credebant enim antiqui omnes animas ad inferos descendere ibique cum Plutone in caligine perpetua remanere; quapropter ipsi Plutoni, id est inferno vel virtuti divine inferna gubernanti suam depinxerunt ymaginem et eum tenebrarum deum vocaverunt. Erat igitur ymago eius homo terribilis in solio sedens sulphureo, sceptrumque manu tenens regium. Canem tricipitem scilicet Cerberum calcabat sub pedibus et iuxta eum tres Furias, tres Parcas, et tres Arpias habebat. De throno autem sulphureo quatuor manabant flumina que Letheum, Cochitum, Flegetontem, et Acherontem vocaverunt. Stigem autem paludem iuxta ista flumina assignabant. Iuxta Plutonem vero regina inferni Proserpina sedebat, que cum facie terribili Plutoni coniugi assistebat. Eranr autem Furie tres horribiles vetule serpentibus crinite que homines furere faciebant, que Alecto, Thesiphone, et Megera dicebantur. Parce vero seu Fata, dicte Parce per antifrasim quia nemini parcant, tres erant domicelle sorores; quarum una tenebat colum et nebat, altera vero volvebat, tertia filum rumpebat, que Cloto, Lachesis, et Attrophos vocabantur. Arpie vero aves erant cum facie virginea rapacissime, que Aello, Occipite, et Celeno nominabantur. Arpiarum prima scilicet Aello interpretatur alienum tollens. Secunda Occipite interpretatur cupita capere. Tertia Celeno interpretatur alienum celare. Ideo autem virgines finguntur quia omnis rapina sterilis est et arida. Ideo plumis circumdate quia

quicquid suaserint celant. Ideo volatiles quia omnis post rapinam ad fugiendum est celerimus. Intelliguntur igitur per Arpias avaritia et rapina.

Primus fluvius infernalis Letheus interpretatur oblivio; secundus Cochitus interpretatur luctus; tertius fluvius Flegeton interpretatur ardens; quartus Acheron dicitur, id est sine gaudio vel salute. Stix palus inferni tristitia interpretatur; volunt igitur Acherontem de imo nasci Tartarorum et exinde Stigem causari. De Stige volunt nasci Cochitum. Cuius rei hec est ratio: quia qui caret gaudio facile in tristitiam cadit; tristitia luctui est; hec in terris humanos animos turbare quis nesciat? Acheron sane locum constat esse ||36r| in Ytalia non longe a Barris undique septem montibus, ut numquam <sol> ibi nisi in meridie possit apparere. Loca vero que ei vicina sunt calidis et sulphureis aquis scatent. Sine gaudio autem dicitur locus ille eo quod nigromantie et chiromantie ibi exercere consueverunt, que sine hominis occisione non fiebant. Nam Eneas illic occiso <Miseno> sacra ista complevit. Cochitus vero est locus Acheronti vicinus, qui ob eandem causam dicitur luctuosus. Stigem refert Seneca in eo volumine quo de sacris Egiptiorum tractat, circa extremam Egipti partem <esse> paludem limosam papiris refertam transituque difficilem. Iuxta hanc membra Osiridis mariti Ysidis a fratre occisi, post longam inquisitionem reperta, tandem tumulata sunt. Hec palus quia tristitiam transeuntibus gignit Stix meruit appellari. Stix autem dicitur nutrix deorum et hospita. Et notandum quod tres Parce sunt tres conditiones humane assignate. Prima que tenet colum est nativitas, secunda que orditur est vita, tertia que rumpit est mors. Quia mors consuevit rumpere quicquid nativitas vel fortuna vel totius vite progressus potuit introducere. Stix dicitur palus inferni per cuius aquas dii iurare consueverunt, quod iuramentum nullatenus violare debebant. Supponunt enim poete quod Stix filiam habuit Victoriam nomine, que quia favebat diis in prelio contra gigantes et fecit eos vincere, ideo ipsi in premium tanti facti voluerunt iurare nomine matris sue et voluerunt quod non liceret diis iuramentum illud preterire. Alias si iuramentum frangerent a nectare divino uno anno et uno mense abstinerent. Dii autem leti semper sunt immortales; hii igitur qui merorem non sentiunt, secundum Fulgentium, per rem nature sue contrariam iurant, ideo iuramentum pro execratione habent. Expositio Stigis:

Aliter exponit Alexander et dicit quod Stix interpretatur tristitia. Et ideo, ut ait, pro eo Stix palus inferni dicitur habuisse filiam Victoriam, quia in certaminibus tam spiritualibus quam corporalibus tristitia, solicitudo, timor, et diligentia victoriam parit et hominem triumphare facit.

De penis inferni. Plures ponuntur pene inferni; una est pena Tantali qui sitit et esurit et tamen est ||36v| in aqua usque ad labium inferius et habet pomum pendens usque ad labium superius; habet tamen collum

58 Fulg. 1.8.

60 Alexander] MV^3 6.3.

34 Barris] *PB*: Arpis; MV^3: Bajis; *Serv. A 3.441*: Bais.

35 sol *add.*

39 Miseno] solem pede; *PB*: Elpendecus; *cf.* MV^3 *6.3*: Nam et Miseno et Ulixes occiso Elpenore sacra ista complevit.

42 esse *add.*

47 assignate] signate

56 a] et | uno anno et uno mense] *PB*: per certum tempus: MV^3 *6.3*: uno anno et novem diebus

70–73 Ovid., *Am* 3.12.30, 3.7.51–2, 2.2.43–4.

73–107 PB pro. 14.

ita rigidum quod ipsum non potest erigere ut comedat, nec deprimere ut bibat, et sic necesse est ut famem et sitim perpetuo sustineat, unde Ovidius: 'Proditor in medio Tantalus ampne sitit,' et 'Sic aret mediis taciti vulgator in undis, Pomaque, que nullo tempore tangat, habet,' et 'Querit aquas in aquis et poma fugacia captat Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.' Alia est pena Yxionis qui in rota volvente semper ambulat que perpetuo a se fugit et sequitur et numquam stat. Alia est pena Sisiphi qui saxum magnum de monte impellit, inferius vero collapsum repetit et ad montis cacumen reportat, quod cum sursum tulerit rursum cum saxo corruit et descendit. Alia est pena que est Belidum que aquam in dolium sine fundo perpetuo fundunt, ipsumque implere credunt nec possunt. Alia est pena Tytii qui proprium pectus et iecur dat vulturibus, qui postquam consumptum fuerit iterum reviviscit et sic semper comeditur et recrescit ad penam propriam. Expositio:

Pena Tantali respicit avaros et parcos qui cum multas habebant divitias non possunt eas contingere, ut saltem bene valeant in esculentis et poculentis uno die per totam vitam suam.

Pena Yxionis respicit mercatores qui rotantur cum fortuna que nunc eos precedit, nunc vero sequitur, nunc vero fugit et ipsi cum illa se sequuntur fugiuntque, qui de nundinis currunt ad nundinas et redeunt et ad easdem iterato recurrunt.

Pena Sisiphi respicit inconstantes qui dum aliquod bonum ad effectum perduxerunt mox per levitatem illud destruunt et iterum penitendo nituntur construere et sic vicissim saxum in montem volvunt et cum eodem ad infima cadunt.

Pena Belidum avaros respicit qui semper urnam sine dolio cordis sui implere contendunt, sed quia fundo caret, id est non habet finem desiderium avaritie, ideo semper vacuum videtur eorum dolium remanere, et sic laborant inaniter et torquentur.

Pena Tytii luxuriosos respicit et voluptuosos qui affectum suum et appetitum dant vulturibus, id est carnalitatis actibus qui ipsos devorant et consumunt ||37r| et vitam et famam et substantiam sibi tollunt, qui tamen devoratus et discerptus redintegrari dicitur, quia luxuriosus in suis libidinosis affectibus continue renovatur. Carnis enim stimulus, etsi modo ad horam transierit, mox per se iterum generatur.

Pena Flegie super quem lapis iam casurus iminet superstitiosos designat qui inaniter semper timent et de celo et de superioribus male opinantur, ut quidam religiosi qui per ineptam reverentiam semper timent, unde et Flegias templum Apollinis subvertendo penam illam dicitur meruisse.

CAPITULUM XXXI.

1–5 PB pro. 15.

Vulcanus deus ignis et faber Iovis pingebatur in similitudinem fabri deformis et claudi malleum in manu tenentis. Qui viso ignominioso concubitu Martis et Veneris uxoris sue fugere disponebat, sed nequibat

quia claudus erat. Iuxta eum pingebatur dii irridentes eum, qui eum de celo propter suam turpitudinem expellere confinguntur. Quia 'nec deus hunc mensa, nec dea dignata cubili est.' De illo multa habentur in fabulis.

Hercules pingebatur gigas maximus pelle leone indutus et clava maxima quam tenebat in manu armatus.

Esculapius deus medicine pingebatur quidam homo stans cum prolixa barba, cuius dextera manus barbam tangebat, sinistra vero baculum cum serpente retorto tenebat.

5-6 Virg. *E* 4.63.
6-7 PB pro. 15.
8-9 PB pro. 16.
10-12 PB pro. 17.

CAPITULUM XXXII.

'In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora; dii, ceptis (nam vos mutastis et illas) Aspirate meis . . .' [1.1-3].

Post mundi destructionem per diluvium, cum solus Deucalion et Pirra uxor sua remansissent, qui salvati sunt in monte Parnasso, placuit eis deos consulere quomodo humanum genus iterum repararent. Themis eo tempore fuerat dea fatidica et culta pre ceteris ab hominibus illius temporis, ut dicit Ovidius: 'numina montis adorant Fatidicamque Themin, que tunc oracla tenebat' [1.320-1]. Veniunt igitur Deucalion et Pirra 'Ad delubra dee, quorum fastigia turpi Pallebant musco stabantque sine ignibus are. Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque Pronus humi gelidoque pavens dedit oscula ||37v| saxo Atque ita dixerunt: "precibus si numina iustis Victa remollescunt, si flectitur ira deorum, Dic, Themi, qua generis dampnum reparabile nostri Arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus!" Mota dea est sortemque dedit: "discedite templo Et velate caput cinctasque resolvite vestes" '—id est discingite—' "Ossaque post tergum magne iactate parentis!" ' [1.373-83]. Tunc ait Deucalion filius Promethei ad Pirram coniugem suam, que fuit filia Epimethei: ' "Magna parens terra est; lapides in corpore terra Ossa reor dici; iacere hos post terga iubemur" . . . . Discedunt' templo, 'velantque caput tunicasque recingunt Et iussos lapides sua post vestigia mittunt. . . . Inque brevi spatio superorum numere saxa Missa viri manibus faciem traxere virorum Et de femineo reparata est femina iactu. Inde genus durum sumus experiensque malorum Et documenta damus qua simus origine nati' [1.393-4, 398-9, 411-5].

Expositio:

Deucalion et Pirra velato capite et discinctis vestibus iubentur lapides post terga proicere, quia turpitudo venerea fit maxime sine consideratione vel in obscuro et vestibus resolutis vel discinctis. Post terga lapides magne parentis iaciuntur dum sementiva materia quam a primo parente contraxerant per dorsi spinam tergumque decurrit ad loca generationis obscena; vel ut alii exposuerunt:

Deucalion et Pirra regnaverunt in monte Parnasso, qui est inter Thebanos et Athenienses. Cumque diluvium particulare fere totam Thessaliam consumpsisset, multi qui navigio se salvare potuerunt rati-

32-39 Orosius 1.9.1-2.

bus ad Deucalionem confugerunt, qui tunc tutus resedit in eodem monte eo quod ad eum aque diluvii supradicti non pervenerunt, et ab eo salvati sunt cibariisque refecti. Et iccirco dicitur genus hominum ex lapidibus reparasse, quia homines rudes et rusticos fovit et aluit et eis vivendi mitius quam ante vixerant precepta dedit. Thucydides ait quosdam tempore diluvii ad montes confugisse. Qui postea ab hiis, qui de aliis montibus veniebant, bello lacessiti facile ex locis superioribus sunt deiecti, unde fictum est ut dii superiores ||38^r| dicerentur deos inferiores vicisse, id est vicisse deos terrigenas dii celestes. Hii dii terrigene, sive pro serpentina caliditate quam habebant sive quia de locis humilibus ad superiora reptabant, pro pedibus dicti sunt habuisse serpentes.

Iupiter, ut hominum peccata vindicaret, diluvium dicitur effudisse in terram et omnibus deletis; Deucalion eo facto Iovem offendi posse, ut prius cum igneo commento Prometheus offenderat, ignem extinxit. Ob hoc Iupiter miseratus per Mercurium monuit ut post se lapides iacerent, qui in homines commutati sunt. Quod vero eo tempore a saxis homines et truncis nasci dicti sunt ab antiqua hominum habitatione fictum est. Ante factas enim domos aut in cavis arboribus aut in speluncis manebant. Qui cum inde egrederentur aut suam educerent sobolem, inde dicti sunt procreati. Preterea, ut ait Lactantius, dum defuit usus casarum ipsi in morem pecorum vagabantur. Filios autem suos <aut> in arborum caveis aut cautium specubus contegebant. Quos transeuntes arborum vel saxorum fetus existimabant. Inde est quod dicuntur Archades astris lunaque priores. Ipsi namque in densitate nemorum nati et nutriti cum tandem in plana exirent, quia nec lunam nec stellas prius viderant, nec eas prius extitisse putabant.

Cum olim Archades de antiquitate certarent cum Frigibus, singulos parvulos cum singulis nutricibus quibus linguas ademerant clauserunt, ut experirentur utrum vox nata esset an disceretur. Et si esset nata, quorum esset, Frigum an Archadum. Producti pueri panem lingua Frigum nominasse dicuntur. Sicque cognitum est Friges esse priores Archadibus.

39–45 MV^3 1.10.
50–57 MV^3 1.10.
54 Lact. in Stat. *T* 4.275.
57–66 MV^3 1.11.

39 Thucydides] Tuquirides, *corr. in marg.*; *MV*^{3}: Varro
42 fictum] *MV*^{3}: factum
55 aut *add.*

CAPITULUM XXXIII.

Fabula secunda:

Cum diluvio recedente tota terra humida remansisset; enormia animalia multa creavit ex humore et calore. 'Quippe ubi temperiem sumpsere humorque calorque, Concipiunt, et ab hiis oriuntur cuncta duobus, Cumque sit ignis aque pugnax, vapor humidus omnes Res creat, et discors concordia fetibus apta est' [1.430–3]. Hoc modo Tellus Phitonem creavit serpentem maximum quem Phebus Iovis ||38^v| filius et Latone sagittis interfecit.

Siquidem Latona, cum esset paritura de Iovis semine scilicet Phebum et Dianam, a Iunone per Phitonem per mundum exagitata tandem

1–2 PB 1.7.
8–11 MV^3 8.3.

pervenit in Delos insulam, que tunc fuit instabilis et fluctivaga. Ibique peperit Dianam primo, Phebum secundo. Nam Diana obstetricis officium exhibuit fratri suo. Phebus in vindictam matris Phitonem interfecit, unde Ovidius: 'Mille gravem telis exhausta pene pharetra Perdidit effuso per vulnera nigra veneno' [1.443-4]. Fuerat nempe Phiton tam magnus quod quinque iugera occupabat. Per Phitonem ardor libidinis, per quinque terre iugera sensus corporei designantur qui per ardorem libidinis occupantur. Eius corpus Phebus ob sui memoriam in celo stellificavit. Corio quoque insignum sue victorie tripodem suum circumdedit, id est mensam templi sui. Insuper ludos et festa fecit fieri que Phitea appellantur, unde Ovidius: 'Neve operis famam posset delere vetustas, Instituit sacros celebri certamine ludos, Phitea perdomite serpentis nomine dictos. Hic iuvenum quicumque manu pedibusve rotave Vicerat, esculee capiebat frondis honorem,' quia 'nondum laurus erat' [1.445-50].

Quia Phebus variis appellatur nominibus in poetria, ne minus eruditi nimis hereant in difficultate terminorum, nomina Phebi et Diane sororis sue in presenti loco ponere necessarium reputavi. Ipse nempe Phebus a sua victoria dictus est Phitius; a Delo insula ubi natus est dictus est Delius. A phos, quod est lux, dictus est Phebus. Apollo ab A, quod est sine, et polluois, quasi sine pollutione. Sapientia enim omni labe caret. Cinthius dicitur a Cintho monte ubi colitur. Cirreus a Cirra civitate Parnasi. Pean vero dicitur propria laus Apollinis, sed nunc pro laude cuiuslibet dei ponitur.

Diana depingitur triceps propter tres potestates. Est enim dea belli, dea lanificii, et dea venationis. Et dicitur Diana quasi duana, id est die ac nocte apparens. Dicitur et Lucina eo quod prebeat lucem nascentibus. Delia a Delo insula. Phebe a Phebo fratre suo. Cinthia a Cintho monte ubi colitur cum fratre suo. Echate ab echa, quod est centum, ||39r| et theos, quod est deus, id est dea habens centum potestates. Luna vero dicitur quod luce vehetur nitens aliena. Ita quod pro qualibet dictione sinuatur una litera.

18-19 MV³ 8.5.
27-28 . . .Phitius, MV³ 8.1.
28-29 a Delo. . . MV³ 8.3.
29-30 Apollo. . . Serv. *E* 5.66.
35-36 Isid. *Etym.* 8.11.56.

14 nigra] mille
30 *Serv.*: ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν

CAPITULUM XXXIV.

Phebus postquam Phitonem peremisset cepit superbire de tanta victoria et contempnere Cupidinem filium Veneris et invidere sibi quia sagittas et arcum portabat, asserens quod ad hec nullus preter eum dignus erat qui tantum serpentem occiderat, unde Ovidius: 'Delius hunc nuper, victa serpente superbus, Viderat adducto flectentem cornua nervo; "Quid tibi est, lascive puer, cum fortibus armis?" Dixerat "ista decent humeros gestamina nostros, Qui dare certa fere, dare vulnera possumus hosti, Qui modo pestifero tot iugera ventre prementem Stravimus innumeris tumidum Phitona sagittis"' [1.454-60]. Igitur Cupido advertens quod Phebus Daphnem puellam diligebat pulcherimam

1-4 . . .occiderat, PB 1.7.
9-15 . . .fugere, PB 1.7.

3 hoc

Penei filiam, duas emisit sagittas; unam cum telo aureo quam in Phebi corde infixit que amorem accendebat. Aliam cum telo plumbeo quo Daphnem percussit et ita amorem fugere faciebat. Et sic factum est quod ex tunc Phebus non cessavit post Daphnem currere et ipsa ex tunc non cessabat Phebum fugere, unde Ovidius de Cupidine: 'Atque sagittifera prompsit duo telo pharetra Diversorum operum; fugat hoc, facit illud amorem; Quod fugat obtusum est et habet sub arundine plumbum. Quod facit auratum est et cuspide fulget acuta. Hoc deus in nimpha Peneia fixit, at illo Lesit Apollineas traiecta per ossa medullas; Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis' [1.468-74]. Expositio moralis:

Phebus significat quosdam de virtutibus gloriantes in seculo vel in claustro qui dum magno serpenti, id est carnalibus temptationibus et insultibus prevaluerint, incipiunt superbire in tantum quod Cupidinem deum amoris, id est amorem carnalem et sectatores ipsius abhorrent et vilipendunt, non considerantes propriam fragilitatem, sed gloriantes se habere castitatem. Sed tales volens deus humiliare sagittis carnalis amoris vulnerari permittit, ut sic sue carnis conditionem ||39v| cognoscant et alios non contempnant. Sed inter hec Daphne fugiendo fatigata, cum pene ab amatore comprehenderetur, rogavit Tellurem deam terre ut pulcritudinem auferret que fuit sibi tanti causa doloris, aut terra dehisceret et eam absorberet aut certe mutaret figuram suam. Que mox miseratione Telluris conversa est in laurum; hanc arborem sibi Phebus appropriavit et oscula sibi dedit et eam amplexatus est et tenerime adamavit; ipsamque specialibus privilegiis insignivit, ut videlicet de lauro sibi fierent corone, cithare, et sagitte. Voluitque quod victores de lauro coronarentur, et quod domus imperatorum quercusque et alie arbores vicine per eam a fulmine tuerentur. Quia, teste Plinio, sole laurus inter arbores non fulminatur. Voluit insuper quod coma lauri numquam deponeretur, sed quod viror eius perpetuo videretur. Expositio:

Phebus, id est sapientia humana, cum longo tempore laborasset querere arborem vel virgultum quod fulmine non afflaretur, tandem experto cognovit post multa studia quod laurus fulmine minime lederetur. Quamobrem illam dilexit specialius et, ut prefertur, propensius honoravit.

22-29 PB 1.7.
29-31 . . .doloris, PB 1.8.
33-40 hanc. . .PB 1.9.
38 Plin. *NH* 15.30.

23 carnibus

CAPITULUM XXXV.

Narrat Ovidius libro primo quod gigantes affectaverunt regnum celeste et ut celum possent attingere. Aggregaverunt montes super montes et ita exaltaverunt habitationem suam quod quasi ad sidera pertingebant. Sed summus deorum Iupiter illud videns, fulmine de celo misso montes illos subvertit et corpora gigantum oppressit et terram eorum sanguine humectavit. De sanguine quorum nati sunt alii gigantes qui peiores facti sunt quam patres eorum. Nam quia de sanguine nati

1-6 PB 1.1.
6-10 PB 1.2.

fuerant, sanguinem naturaliter sitiebant, et numina supera contempserunt et cunctis molesti et violenti fuerunt, propter quod postmodum perierunt. Solinus: Flegra locus est in Macedonia ubi gigantes dicuntur voluisse oppugnasse celum. Quorum ossa etiam nunc dicuntur detegi a quarum eluvione multi grandiora ossibus modernis, que ob enormem magnitudinem putantur illius monstruosi exercitus extitisse. Idque fulcitur indicio saxorum ingentium ||40r| quibus oppugnatum celum crediderunt. Iupiter iratus hac de causa et precipue propter Lichaonis ausum temerarium, deos convocat ad suum regale palatium universos. Nempe iste Lichaon Iovem hospitatum in domo sua nocte paravit occidere, ut posset experiri pro vero utrum deus immortalis esset an non. Insuper quendam hominem occisum coxit partim et partim torruit et mensis imposuit, ut probaret si Iupiter sua divinitate facinus deprehenderet. Quod agnoscens Iupiter flammas immisit domibus Lichaonis, unde ipse territus fugit exulans et non potuit loqui, quia factus est ex homine repente lupus. Expositio:

Lichaon primo humanus, postea tyrannus, ex homine dicitur esse mutatus in lupum, quia mores humanos convertit in lupinos; vel potest dici quod per artem magicam in lupi effigiem sit mutatus. Ob has causas dicit Ovidius inductum diluvium super terras.

10-15 Solinus 9.6-7.

8 supera] *PB*: superna

CAPITULUM XXXVI.

Yo fuit filia Ynachi fluminis quapropter decorem Iupiter adamavit, sed cum illa eius amorem refugeret, Iupiter mundum involvit tenebris ne deprehenderetur et sic nimpham rapuit et corrupit, id est arte magica induxit tenebras super terram ut licentius virgine potiretur. Sed Iuno nebulas iussit discedere, que fuit coniunx Iovis, quia per mulieres occulta frequentius revellantur. Iupiter vero ad fallendum coniugem mutavit virginem in iuvencam. Cuius speciem Iuno laudat et quasi veri nescia querit cuius et unde sit. 'Iupiter e terra genitam mentitur, ut auctor Desinat inquiri' [1.615-6]. Igitur Iuno petit hanc pro munere sibi dari, quam Iupiter licet invitus sibi dedit. Illa 'Pelice donata non protinus exuit omnem . . . metum . . . Donec Aristoride servandam tradidit Argo' [1.622-4], qui grecus fuit totus oculatus. 'Centum luminibus cinctum caput Argus habebat Inde suis vicibus capiebant bina quietem, Cetera servabant atque in statione manebant; Quocumque loco constiterat, spectabat ad Yo, Et ante oculos Yo, quamvis aversus, habebat. Quam luce sinit pasci . . .' [1.625-30]; nocte 'Claudit . . . circumdans vincula collo. Que frondibus arboreis et amara pascitur herba' [1.631-2]. 'Et conata queri mugitus edidit ore . . . propriaque exterrita voce est; Venit et ad ripas ubi ludere sepe solebat, . . . utque conspexit in unda nova Cornua, pertimuit seseque ||40v| exterrita fugit' [1.637-41]. Inachus pater eius et Naydes sorores eius eam videntes ignorant que nam sit. 'At illa patrem sequitur, sequitur et sorores Et

1-3 . . .corrupit, PB 1.10.

4-7 PB 1.11.

patitur tangi seque admirantibus offert' [1.643-4]. Pater sibi porrigit herbas, 'Illa manus lambit' [1.646]. Tandem pede scribit in pulvere nomen suum quod 'Corporis indicium mutati triste peregit. "Me miserum!" exclamat pater inque gementis Cornibus et nivee pendens cervice iuvence' [1.650-2]; dixit '"Tune es quesita per omnes Nata michi terras?"' [1.653-4]. Heu! tibi thalamos preparaveram, nepotes de te vidisse speraveram, sed '"De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus. Nec finire licet tantos michi morte dolores . . . . Eternum nostros luctus extendit in evum"' [1.660-1, 663], id est Iupiter. Iupiter compassus tante calamitati Mercurium vocat, 'leto det imperat Argum' [1.670]. Mercurius dei deposita maiestate, virgam sompniferam tantum retinuit manu sua, et pastoris minantis capellas per rura devia sumit effigiem et structis pauce arte sua cantat avenis. Voce nova captus Argus artis ait: '"O quisquis es, hoc poteris mecum considere saxo"' [1.679], quia pecori nullo loco fecundior herba est, '"aptamque vides pastoribus umbram"' [1.681]. Sedet ergo Mercurius euntemque diem detinuit multa loquendo, canendoque iunctis 'arundinibus vincere servantia lumina temptat. Ille tamen pugnat molles evincere sompnos Et, quamvis sopor est oculorum parte receptus, Parte tamen vigilat' [1.684-7], et querit qua nam ratione fistula sit reperta. Tunc Mercurius: Siringa inter nymphas, inquit, fuit pulcherima quam Pan deus nature adamavit. Sed Siringa fugit eundem donec arenosi pervenit Ladonis ad ampnem ubi oravit ut in aliam speciem mutaretur. Igitur 'cum Pan prensam sibi Siringa putaret, Pro nymphe corpore calamos se tenuisse cognovit, Dumque ibi suspirat,' sensit 'motos in arundine ventos Effecisse sonum tenuem.' [1.705-8]. Hoc modo Pan concepit artem fistule cera calamos coniungendo dispares. 'Talia dicendo vidit Mercurius omnes Succubuisse oculos' [1.713-4] Argi, repenteque ense falcato amputat caput eius. Iuno confestim oculos Argi collocat in cauda pavonis, avis videlicet sibi specialiter ||41r| consecrate. Nec minus irata fecit Yo per totum mundum furendo discurrere, sicut discurrunt vacce cum estivo tempore oestro agitantur, donec eadem Yo pervenit ad Nylum fluvium ubi orando Iovem recepit effigiem pristinam. Yo tandem pervenit in Egiptum, transiens per mare strictum quod Bosforon quondam vocabatur, nunc vero dicitur Ellespontum. Yo ab Egiptiis vocatur Ysis. Expositio:

Yo tradita est Argo servanda, id est viro centum cautelis precellenti. Sed hic per Mercurium sopitus dicitur, quia eloquentia viri sepe prudentes circumvenit et reportat victoriam de eisdam. Expositio Flacti:

'Flacco teste fugit Yo vaga bos fugitiva Indiga discurrens fine beata tamen. Argus ab arguto fertur qui plenus ocellis Ante retro, plena calliditate sapit. Cauda pavonis tandem pinguntur ocelli Quando divitias respicit argus homo.'

Vel aliter Yo casta interpretatur, in vaccam mutata et Argo tradita significat illam devenisse meretricem et carnalibus illecebris indulgen-

51-58 Serv. *G* 3.152; *A* 7.790; cf. MV[2] 89.

61-65 Flacti] erratum in vicem Garlandi, *Integ.* 97-102.

35 nova] nonne

42 sit] fit

45 spem

54 donec] donus | Yno

62 Flacco] *Garl.*: Fracto, *sed* 'Flacco' *in duo mss.*

tem. Sed tandem Iovem oravit et pristinam figuram recepit, dum abhorrita carnis spurcitias, rediit ad vite castissime puritatem. Et tunc Epaphum genuit, id est bonum opus per exempla produxit. Nam illa Egiptios literas docuit et terram colere, unde et terram eius nomine appellaverunt et eam deam habuerunt et lingua propria Ysidem vocaverunt. Unde Ovidius: 'Nunc dea lanigena colitur celeberima turba. Huic Epaphus magni genitus de semine tandem Creditur esse Iovis perque urbes iuncta parenti Templa tenet' [1.747-50]. Aliter potest dici quod Yo sit mutata in vacce figuram iuxta literam per artem magicam, et coacta discurrere per totum mundum per oestrum caude sue immissum, cum legamus in Vita Patrum quondam feminam mutatam in equam et a viro suo adductam ad beatum Macharium, qui ei ad visus hominum reddidit speciem mulieris. Non enim homines vel mulieres mutantur in bestias, licet mutari videantur et more pecudum mugire prout de Yo legitur, sed sensu humano remanente figura tantum per maleficia perdunt ||41 v| prestigiis impedientibus humanos aspectus, et unde dicitur de Yo 'Erigitur metuitque loqui, ne more iuvence Mugiat, et timide verba intermissa retemptat [1.745-6].

CAPITULUM XXXVII.

Igitur Epaphus filius Iovis <et> Yo, et Pheton filius Phebi et Climenes, equales fuerunt et annis et animis. Sed cum Pheton suo parente superbus nollet Epapho cedere nec honorem exhibere, sed iugiter gloriaretur se de Phebo genitum, Ephaphus iratus dixit: '"Matrique" ait "omnia demens Credis et es tumidus genitoris ymagine falsi." Erubuit ergo Feton iram et pudore repressit Et tulit ad Climenem matrem suam convicia Epaphi' [1.753-6], dicens '"Tu, si modo sum celesti stirpe creatus, Ede notam tanti generis"' [1.760-1]. Climenes mota Phetontis precibus vel ira impositi sibi 'criminis utraque celo Porrexit brachia spectansque ad lumina solis; "Per iubar hoc" inquit . . . "Nate, tibi iuro . . . Hoc te, qui temperat orbem, Sole satum"' [1.766-71]. Igitur '"Si modo fert animus"'—id est si cupis scire—'"gradere et ab ipso sisciteris"' [1.775]. Ille mox hiis auditis a matre ipsi generis adiit solis ortus sedem et palatium scilicet patris sui. Expositio philosophica:

'Phos lux dicetur et Pheton dicitur inde, Sic solis radius filius esse potest,' id est filius solis. 'Philosophi radium generat sapientia cuius Currum deducit, et cadit arte rudis.'

Explicit Liber Primus

70-73 Cf. MV[2] 89.
78-83 cum. . .aspectus MV[3] 4.7.
78 *Vitae Patrum* 8.19 (*PL* 73.1110-1).

74 Huic] Hac

15-17 Garl. *Integ.* 111-114.

1 et[1] *add.*

LIBER II

Secundus liber habet septem fabulas principales. Prima est de Phebo et Phetonte, in qua continentur fabule secundarie Heliadum sororum Phetontis et Cigni.

Secunda fabula de Iove et Calistone que sic incipit: 'Dum redit itque frequens, in virgine Nonacrina' [2.409], id est Archadica. Archadia dicitur nempe Nonacrina a novem montibus quibus clauditur. Acros enim grece mons dicitur latine.

Tertia fabula de Corvo, Phebo, Coronide, Cornice, et Nictimene. De Corvo fabula tangitur ab hoc versu: 'Quam tu nuper eras, cum candidus ante ||42r| fuisses' [2.534]. De Coronide ab isto versu: 'Pulcrior in tota quam Larissea Coronis' [2.542]. De Cornice ab isto loco: 'Quem garrula motis Consequitur pennis, scitetur ut omnia, Cornix' [2.547-8]. De Nictimene ab hoc versu: 'Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris?' [2.589].

Quarta fabula de Chirone, Esculapio, et Ochiroe que incipit ab hoc versu: 'Semivir interea' [2.633].

Quinta fabula de Apolline, Iove, Mercurio atque Bacho que sic incipit: 'Flebat opem tuam frustra Phillirius heros' [2.676], id est Chiron filius Philliris, 'Delphice, poscebat' [2.677], id est O Apollo!

Sexta fabula de Mercurio, Herse, et Aglauro que sic incipit: 'Hinc se sustulerat paribus caducifer alis' [2.708], id est Mercurius.

Septima fabula de Iove, Europa et Mercurio que sic incipit: 'Has ubi verborum penas mentisque prophane Cepit Athlantiades' [2.833-4], id est Mercurius, sic dictus a matre sua Maya Athlantis gigantis filia.

6 Cf. Arn. gloss in *M* 2.409 (ed. Ghisalberti, 187): Archadie dicitur Nonacrina a novem acros, id est a novem montibus, eo quod novem montibus sit clausa; MV[3] 8.8.

22 Hac

CAPITULUM I.

'Regia Solis erat sublimibus alta columpnis' [2.1]. Domus Solis fuit altis edificata columpnis. Cuius parietes de auro, tectum de ebore, fores de argento. In qua fuere picta mare, terra, celum et diversa genera numinum, flumina, et duodecim signa celi, 'Protheaque ambiguum' [2.9] que poterat se mutare in formas varias, unde alibi: 'Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus?' Habuit etiam domo Solis 'Doridaque <et> natas, quarum pars nare videtur, Pars in mole sedens virides siccare capillos' [2.11-2]. Constatque Dorus fuit rex quidam qui cum toto exercitu suo in mari submersus est, unde mare Doris dicitur et exercitus eius Nereides dee. Doris etiam mater dicitur Nereydum, dearum scilicet marinarum. Fabulose Doris uxor Nerei habuit septem filias quarum media pars est piscis. Nereus insuper mare dicitur a nomine cuiusdam viri sic dicti.

Domus ergo Solis habuit etiam celum superimpositum super hec omnia, sicut dicit Ovidius: 'Hec superimposita est celi fulgentis ymago, Signaque sex foribus dextris totidemque sinistris' [2.17-8], id est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Architenens,

1-4 . . .celi, PB 2.1.

5-6 Hor. *Epist.* 1.1.90.

8-10 MV[3] 5.1; cf. Arn. gloss in *M* 2.11 (ed. Ghisalberti, 184): *Doridaque.* Doris re vera rex quidam fuit qui cum exercitu suo in mare periit. Unde poete eum deum esse marinum dixerunt, et filios eius et gentem suam. Fabula est quod Doris uxor Nerei vel Oceani fuit qui habebat VII filias quarum inferiores partes erant pisces, superiores humane.

7 et *add.*

Capricornus, Amphora, Pisces. Cumque Pheton intrasset domum Solis vidit eum ||42v| sedentem, velatum veste purpurea, in solio lucente claris smaragdis; a dextra levaque equalibus Hore, 'Verque novum stabat cinctum florente corona, Stabat nuda Estas et spicea serta gerabat; Stabat et Autumpnus calcatis sordidus uvis, Et glacialis Hiemps canos hirsuta capillos. Inde loco medius' [2.27-31] Sol sedebat. Ad quem Pheton: '"O lux immensi puplica mundi, Phebe pater, si das usum michi nominis huius . . . Pignora da, genitor, per que tua vera propago Credar, et hunc animis errorem detrahe nostris"' [2.35-6, 38-9]. Cui Sol respondit: '"Quoque minus dubites, quodvis pete munus, et illud Me tribuente feres"' [2.44-5]. At confestim Pheton rogat ut unum diem currus et equos suos Sol sibi regendos concedat. Tunc 'penituit iurasse patrem' [2.49] et ait: '"Magna petis, Pheton, et que nec viribus istis Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis"' [2.54-5]. '"Et tu, funesti ne sim tibi muneris auctor, Nate, cave, dum resque sinit tua corrige vota"' [2.89-9]. '"Eque tantis celi terreque marisque Posce bonis aliquid; nullam patiere repulsam"' [2.96-7]. Sed cum flectere pater filium non posset a proposito, dedit et regimen currus sui et commonit eum principaliter de tribus rebus. Primo ait: '"Parce, puer, stimulis et fortius utere loris"' [2.127]; tertio, '"Inter utrumque tene"' [2.140] quia '"medio tutissimus ibis"' [2.137]. 'Occupat ille levem iuvenili corpore currum Statque super manibusque datas contingere habenas Gaudet et invito grates agit inde parenti' [2.150-2]. Interea Solis equi, id est Pirois, Eous, Ethon et Phlegon corripuere viam et 'vero summo conspexit ab ethere terras Infelix Pheton. . . Palluit et subito genua intremuere timore. . . Et iam mallet equos numquam tetigisse paternos' [2.178-80, 182]. Iam Meropis, qui maritus erat matris sue, maluit dici filio quam Solis. Et factus 'Inops mentis gelida formidine lora remisit' [2.200]. Tunc equi 'sine lege ruunt' [2.204], 'Et modo summa petunt, modo per declivia viasque Precipites spatio terre propiore feruntur' [2.206-7]. Tunc altissima queque tellus corripitur flammis fissaque rimas agit, 'cum frondibus uritur arbor' [2.212] et 'magne pereunt cum menibus urbes' [2.214]. Tunc Iupiter dolens mundum ||43r| periturum intonat et libratum fulmen misit in Phetontem et pariter et anima et curru 'Expulit et sevis compescuit ignibus ignes' [2.313], eum in fluvium Eridanum precipitando. Quem Naides, id est dee maris, tumularunt, 'signant quoque carmine saxum: "Hic situs est Pheton currus auriga paterni, Quem si non tenuit magnis tamen excidit ausis"' [2. 326-8].

Orosius de hac fabula: Ante urbem conditam octingentesimo quinto infanda Egiptiis mala atque intolerabiles plage sub Moyse incubuerunt. Quo quidem tempore adeo iugis et gravis estus incanduit, ut sol per devia transvectus universum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur. Impressumque fervorem <et> Ethiops plus solitum et insolitum Scitha non tulerit. Ex quo etiam quidam dum non con-

57-58 . . .plage, Orosius 1.10.1.
59-64 Orosius 1.10.19.

22 sordibus
47 proprior
55 Que
61 et *add.*
62 quidem

cedunt Deo ineffabilem potentiam, suas inanes ratiunculas conquirentes ridiculam Phetontis philosophi texuerunt.

Climene mater Phetontis lecto in marmore nati sui nominis doluit vehementer. Sed et sorores Phetontis, Heliades dicte ab Elios quod est Sol, non minus lugent: 'Non auditurum miseris Phetonta querelis Nocte dieque vocant adsternunturque sepulcro' [2.342-3]. Post menses quattuor cum Phetusa sororum senior 'vellet terre procumbere, conquesta est Sibi pedes diriguisse' [2.347-8]. Ad quam media soror Lampethie voluisset accedere, 'subita radice retenta est' [2.349], pedibus in radices conversis arboris. 'Tertia, cum crinem manibus laniare pararet, Avellit frondes' [2.350-1]. Et ita omnes tres sorores in arbores sunt converse. Sed mater 'truncis avellere corpora temptat Et teneros manibus ramos abrumpit' [2.358-9], sed inde manant gutte tamquam sanguinee. Sed mox '"Parce, precor, mater," quecumque est saucia, clamat, "Parce, precor, nostrum laceratur in arbore corpus: Iamque vale"; cortex in verba novissima dedit. Inde fluunt lacrime, stillataque' [2.361-4] electra de ramis novis sole rigescunt. Istud electrum reor distillare de arboribus pini que electrine dicuntur. Est enim succinus quem electrum appellant, fulvi ceruleique coloris, et fertur arboris succus esse et ob id succinum appellari.

Affuit huic monstro Cignus filius ||43 v| Stelenes sororis Climenes qui fuerat rex Ligurum, qui dum luget iuxta Eridanum et silvam ubi sorores in arbores sunt converse, conversus est in avem cignum que alte volare non vult propter iram habitam de Phetonte, et quia propter suspicionem nec se Iovi nec celo 'Credit, ut iniuste missi memor ignis ab illo; Stagna petit patulosque lacus, ignemque perosus Que colat eligit contraria flumina flammis' [2.378-80]. Expositio:

Stelene et Climene erant sorores; Cignus autem filius Stelenes, Pheton vero filius Climenes; Cignus dicitur esse mutatus in avem sui nominis; hoc est cum rex ille se in aqua balnearet a casu demersus est. Ideo locum habet fabula quod mutatus est in volucrem sui nominis.

Sol cum Climene nympha coiens Phetontem dicitur genuisse, qui paternos affectans currus sibi atque mundo cremationis detrimenta conflavit. Semper ergo sol cum aqua coiens fructus aliquos gignit. Qui eo quod terris exilientes appareant Phetontes quasi phatontes appellantur. Phaton enim interpretatur apparens. Qui quidem fructus ad sui maturitatem solis ardorem querunt. Sed eo accepto frequentibus et nimiis incendiis concremantur. Huius sorores, que sunt Solis filie, eius deplorant interitum, quia constat quod arbores que sunt florum et herbarum sorores una eademque fervoris et humoris iugabilitate gignuntur. Sed arbores ille qui fructum sudant, dum maturas fruges sol torrens iunio iulioque mensibus incendiosior Cancrum atque Leonem attigerit, tunc estu valido fissis corticibus succum sui liquoris in Eridano fluvio aquis in electra duranda emittunt. Tria nempe sunt electri genera: unum

79-82 MV³ 8.14; cf. Isid. *Etym.* 16.8.6.
90-93 Cf. Arn. 2.4.
94-110 MV³ 8.14.

64 philosophi] *Orosius*: fabulam
83 Stelenes] *i.e.* Sthenelus
87 ut] et
97 Phetontes] *MV³*: φαίνοντες
98 Phaton] *MV³*: φαίνων
103 fructum] *MV³*: sucinum

ex arboribus quod succinum dicitur; aliud quod naturaliter invenitur; tertium quod fit de tribus partibus auri et una argenti. Quas partes etsi natura resolvat invenies; electri natura probatur veneno quo recepto, et stridorem emittit et varios reddit colores.

Post mortem Phetontis Phebus negavit mundo officium ||44r| suum, donec omnia numina eum circumstetissent et rogassent ne induceret tenebras mundi rebus. Sed et ipse Iupiter missos in Phetontem ignes excusat, precibus minas addens, donec Sol recollectis equis officium pristinum resumpsisset, unde Ovidius: 'Colligit amentes et adhuc terrore paventes Phebus equos' [2.398-9]. Expositio:

Post incendium memoratum sol passus est eclipsim cuius tenebre diu duraveret.

Zodiacum veteres dixerunt illam partem celi sub qua planete decurrunt, quam certis spatiis et stellarum positione calculandi sagacitate quibusdam quasi limitibus Egiptii determinaverunt. Ipsa autem spatia assequiti posteri, primo signa generaliter appellaverunt, deinde singulis certa ab animalibus sumpta indidere vocabula, unde et illa pars celi zodiacus, id est animalis, est appellata. Hec poete ridiculose finxerunt. Sed philosophi quibusdam adumbrationibus colorare veri sunt. Sed hiis omissis naturalibus insistamus. Eo igitur loco quo sol est creatus zodiaco initium tribuerunt ab eo signo videlicet quod quinto decimo kalendis aprilis intrare dicitur, qui fuit primus dies seculi. Hoc autem retrograda computatione facile compererunt. Ideo signum principale Arietis nomine nuncuparunt, ex natura ipsius animalis trahentes vocabulum similitudinis ad efficientiam solis, sive quod id animal precipue cornibus valet, sicut sol ab eo signo ad resolvendam terram eatenus brumali rigore congregatam radiorum vim incipit exercere; sive quod ab eo equinoctio per totam estatem usque ad aliud equinoctium dexterum lustret emisperium, sicut illud animal toto hoc tempore dextro ferunt lateri recubare. Nam reliqua anni medietate et sol sinistre ambitum peragit. Alii mense martio solem in Ariete collocant quod sicut hoc animal in posterioribus infirmum, totam in anterioribus corporis habet fortitudinem, ita tempus preterite iemis intemperie mortuum, tunc redeunte per solis accessionem temperie reformari et quasi se erigere incipit in futurum.

Taurum secundo loco posuerunt ||44v| quod sole illas partes adeunte boum labores, id est segetes ad maturitatem tendunt et tunc in quibusdam terris ferventioribus etiam metuntur. Sive iuxta alios quod taurus in anterioribus multo fortior est ariete. Aries enim in posteriore parte, taurus vero in capite et in pectore maximam fortitudinem est sectitus. Sicque sole iam nobis propinquiore maior incipit crebrescere fervor.

Gemini signum Castorem et Pollucem nominant. Ex quibus alter mortalis, alter fuisse dicitur immortalis. Sed is qui immortalis extiterat, scilicet Pollux, Castori fratri suo sue mortis obiectu immortalitatem

119-141 Cf. MV^3 8.11.
142-147 MV^3 8.12.
148-158 Cf. MV^3 3.7; MV^3 8.12.

110 mittit
133 extrocere
136 sinistre] *MV*^{3}: similiter
146 sectitus] *MV*^{3}: sortitus

dicitur adquisisse quod in ipsis eorum stellis quidem probare nituntur, quia una oriente altera occidat. Hoc quoque soli coaptant, eo quod unus idemque sol in yma mundi descendat modo, modo in summam eius resurgat altitudinem; a pictura tamen Geminorum illam zodiaci particulam dicunt nominatam. Pinguntur enim Gemini porrectis brachiis esse amplectentes et quasi primo pubescentes. Sic et illo, inquiunt, tempore queque iam semina radicibus inferius extensis et implicitis amplectuntur terram, superius vero pubescunt in herbam.

Cancri significatio satis patet. Sicut enim id animal versis vestigiis retrocedit, ita sol cum ad hoc signum venerit, ultra non valens scandere, inferiora repetit, celebrato in quarta eius parte solstitio, id est duodecimo kalendis iulii, unde idem ortus strophicos appellatur, id est conversionalis. Nam terris sunt principales ortus casusque solis: brumalis, equinoctialis, borealis.

Sequens signum Leonem dicunt ob illius mensis, augusti videlicet, tempus ferventissimum quia leo ceteris animalibus calore prestare creditur, quodque leo priore parte validus, posteriore degenerat, sicut sol a medio illo signo iam circa mensem septembrem estus sui ardoris nobis incipit mitigare.

In ipso vero septembri Virginem sol decurrit, quod in eo mense iam terra effecta nichil fructuum gignat.

Libra, quam in trutine similitudinem formant, ||45r| equinoctialem noctis dieique parilitatem, quam in eius quarto sol exsequitur in autumpno, id est duodecimo kalendis octobris insinuat, sicut in Arietis quarta parte in vere, id est duodecimo kalendis aprilis, et hii sunt ortus quorum uterque isovernios, id est equinoctiales, appellatur.

Scorpius vero aculeatus et Sagittarius ad exprimendos ictus granduum et tempestates illius temporis sunt locati. Sed Sagittarius inferiora membra degenerans significat tunc temporis a superis ad inferiora trusum.

Capricorni significantiam oculis etiam deprehendere est perfacile; capram in pascendo ab ymis semper alta petere, nemo est qui nesciat. Sic signum hoc nobis solem ab inferis partibus ad superiora remittit, transacto in quarta sui parte, quod est duodecimo kalendis ianuarii, solstitio brumali, sicut in Cancro estivali; unde et hoc signum sicut et illud tropicon appellatur. Et inde hec duo signa philosophi portas solis appellaverunt, eo quod in utroque eorum obviante solstitio ultra eius prohibeatur accessus.

Solstitium antedictum est non quod solem aliquando stare sit credibile, sed brevissima illa spatia quibus summas vel ymas zodiaci partes attingit hoc nomine censentur, quod athomo fieri nulli dubium est.

CAPITULUM II.

Post hec Iupiter amavit virginem Nonacrinam, id est Archadicam (hoc est Archadie oriendam), que vocabatur Caliston, que fuit filia

159-188 Cf. MV[3] 8.13.

162 strophicos] *MV[3]*: τρόπος

184 in] et

189 sit] fit

Lichaonis quem dudum Iupiter propter eiusdem tyrannidem in lupum mutaverat. Eius frater Nonacrina dicebatur secundum quosdam; hec Caliston 'miles erat Phebes' [2.415] et venationi consuetudinaliter dabat operam. Que post mediam diem, id est meridiem, exuit humero pharetram archumque retendit et insuper herbam recubuit et caput super suam pharetram reclinavit. Iupiter, ut hanc vidit fessam et sine custode, transformavit se in formam Diane et dixit ei: O virgo, comes mea, '"In quibus es venata iugis?"' [2.427]. Quam virgo ut vidit Dianam putaret esse et eam salutavit et oscula sibi dedit. Et dum narrare pararet qua silva venata ||45v| fuerat, ille mox amplexu impedit et semetipsum prodit; illa quidem repugnat, sed quis poterit Iovem superare? Ille petit ethera victor. Dictinna, id est Diana, veniens ad silvam cum suis comitibus vocavit ad se Calistonem, voluitque nuda lavari. '"Procul est," ait, "arbiter omnis; Nuda superfusis tinguamus corpora limphis!" Sed Parrasis erubuit' [2.458-60], id est Calisto a Parrasia oppido Archadie. A qua licet invita vestes detracte sunt et statim patuit cum corpore crimen; cunctis 'manibusque uterum celare volenti, "I procul hinc," dixit, "ne sacros pollue fontes!" Cinthia deque suo iussit secedere cetu' [2.463-5].

Dictinna a Dictis civitate Crete; vel quia cum Brita filia Martis esset lapsa in fluvium, nec inveniri posset, Diana factis retibus, que grece dicuntur dictinna, inventam extraxit et ideo Dictinna dicitur. Iuno, ut cognovit Iovis adulterium cum Calistone, in ydonea tempora distulit ultionem, sed cum iam de Calistone natus esset puer Archas nomine, irata Iuno convertit eam in ursam.

Iuno ipsa est Lucina dea partus mutavit eam in ursam, quod nichil aliud est nisi quod ipsa post partum rugosa facta fuit et minus decens quam fuerat ante partum; rei veritas fuit quod Iupiter destructo Licaone filiam suam que casta fuit corrupit et de casta fecit incestam. Et ideo fingitur de muliere mutata in ursam.

Archas filius Iovis et Calistonis factus annorum quindecim, dum feras insequitur 'incidit in matrem. Que restitit Archade viso Et cognoscenti similis fuit; ille refugit Immotosque oculos in se sine fine tenentem Nesciusque extimuit' [2.500-3]. Et cum telo parasset matrem occidere, prohibuit omnipotens et celeri vento sustulit, et celo imposuit et stellas fecit que dicuntur Ursa Maior et Minor. Archas audiens se adultere fore filium voluit matrem perimisse. Sed hoc prohibuit omnipotens, timor siquidem repressit eum ad signandum ergo hominibus ne aliquis filius ulla causa matrem occideret, vel talem quod presumeret philosophia ambos in celo figurat.

Cum Iuno comperisset adulterium ||46r| Iovis cum Calistone filia Lichaonis convertit eam in ursam. Sed Iupiter postmodum eam in celum transtulit, de qua Ovidius: 'Esse hominem Iuno vetuit: facta est dea!' [2.521]. Postea cum saltem ei deitatem Iuno auferre non posset, legitur ad nymphas equoreas descendisse et ne illam cum ceteris syderi-

22-25 Cf. Arn. gloss in *M.* 2.441 (ed. Ghisalberti, 187): *dictinna* dicitur a Ditis civitate Crete [*dictinna* Diana que in Creta colitur. Vel dictinna grece, latine retia. Inde Diana dicta est dictinna quasi retiaria, a retibus. *add. Ambr. B.18*]. Vel, quod melius est, Brito Martis cum in fluvium esset delapsa nec inveniri posset, Diana, factis retibus, que grece dicuntur dictia, eam inventam extraxit et ideo dictinna dicitur. Brito comes Diane erat quam cum Mercurius sequeretur eam in mare cecidit, ut dictum est; cf. MV^2 26.

25-27 PB 2.11.

28-30 . . .partum, Arn. 2.5.

38-42 Arn. 2.6.

19 I] id est

24 dictinna] *i.e.* *δίκτυον*

bus in mare reciperent exorasse, unde illud: 'Gurgite ceruleo septem prohibete triones' [2.528]. Cuius quidem rei veritas est quod cum Arctos sit in poli confinio versus cuius partem habitabilis nostra extollitur, a nobis ad occasum tendere non videtur. Si vero aliqui habitent in mundi medio aut sub zona torrida, eis oriuntur et occidunt septentriones. Cum ergo pole arctico vicinetur habitabilis nostra ipsum polum et sydera que in septentrionali circulo et aliquanto ulterius includuntur numquam videmus occidere, tantamque portionem firmamenti a parte poli australis nullo videmus tempore apparere.

Septentrio, ut dicit Papias: Ille est quem Greci Arcturum dicunt. Qui septem stellarum radiis fulgens in seipsum revolutus rotatur. Qui ideo Plaustrum vocatur quia in modum vehiculi volvitur. Arcticos est etiam primus celi circulus versus septentrionem; ideo sic dictus quia intra eum Arctos est, id est Ursa. Nam arctos grece ursa dicitur latine, que septentrio quia septemstell is constet. Arctus enim Ursa Maior Calisto, videlicet Plaustrum nominatur propter similitudinem. Nam quinque pro carro, dueque uno loco videntur pro bobus habentur. Ea vero que sequitur plaustrum Arctophilax vel Boet*q*s dicitur, vel Arctas. Boete nomen stelle septentrionalis est et ponitur pro bubulco. Arctos Minor Cinosura, id est Minor Ursa dicitur. Nam due Arcti sunt: Maior Calisto vel Elix, id est septentrio; Minor vero Cinosura dicitur. Arctophilax dictus est quod Arcton, id est Elicen, ursam sequitur. Eundem Boetem dicunt eo quod plaustro heret signum multis stellis spectabile inte quas Arcturus est, que septentrio dicitur a Latinis.

57-59 Papias, s.v. 'Septentrio.'
59-61 Papias, s.v. 'Arcticos.'
61-66 Papias, s.v. 'Arctos.'
66 Papias, s.v. 'Boote.'
67-69 Papias, s.v. 'Arctos.'
69-71 Papias, s.v. 'Arctophylax.'

CAPITULUM III.

Corvus ab initio fuit avis albissima, ita 'ut equaret totas sine labe columbas' [2.537], sed eius 'Lingua fuit dampno; lingua faciente ||46v| loquaci Qui color albus erat, nunc est contrarius albo' [2.540-1]. Rei causa fuit Phebus amavit Choronidem Larisseam, id est de Larissa civitate Thessalie, quam non fuit pulcrior in Hemonia, id est Thessalia vel Macedonia, dum casta fuit. Hec fornicata est cum quodam iuvene de Hemonia credens crimen latere. Sed ales Phebeius, Corvus videlicet, ut sensit adulterium illico tendebat iter ad dominum ut detegeret illi commissum facinus. Queque festinanter insequitur Cornix et vie causa diligentissime sciscitatur. Que cum audisset causam, '"non utile carpis iter"' [2.549] inquit. Pones nempe pena mea tibi cavere, quia non semper verum est dicendum, unde exempla tibi dabo: '"Pallas Erictonium, prolem sine matre creatam, Clauserat"' [2.553-4] in cista viminea et tribus virginibus filiabus Cecropis servandum tradiderat, non confessa quid esset, '"et legem dederat sua ne secreta viderent"' [2.556]. Sed Aglauros Pandrasos et Herse sorores <timidas> vocat et nodos solvit ciste et intus infantem vident, cuius pars superior homo fuit, inferior vero draco. At ego mox acta sororum refero Palladi, '"pro quo facta

5 qua
16 timidas *add.*

michi gratia talis Redditur ut dicar tutela pulsa Minerve Et ponar post noctis avem"' [2.562-4], id est bubo impreponitur; hoc te quod refero ammonuisse potest et aves alias '"ne voce pericula querant"' [2.565]. Ego nempe quondam fui filia Coronei regis Focensium quem deus pelagi, id est Neptunus, voluit corrupisse. Sed ego fugi quamdiu potui, tandem in arto posita tendebam celo brachia deorum petens suffragia. Et Minerve miseratione in Cornicem sum conversa. Sed hec quid michi prosunt cum Nictimenes, id est bubo, que patris cubile temerat, honoratior me habetur? Nictimenes cum patre suo adulterata est et ideo mutata est in noctuam, que dicitur sacrata esse Palladi.

Corvus licet hec audisset a Cornice, nichilominus continuat iter et Phebo Coronidis adulterium nuntiat. Qui vehementer iratus sagitta perforavit eam. Et mox ductus penitentia, licet nimis sero, 'Seque quod audierit, quod sic exarserit, odit; Et odit ||47[r]| avem per quam crimen causamque dolendi Scire coactus erat' [2.613-5]. Sed quia puer de qua fuit gravida de semine eius erat, de utero matris traxit et tulit in antrum Chironis; Corvum vero sperantem premia pro accusatione Coronidis, 'inter aves albas vetuit consistere' [2.632] Phebus. Expositio:

Fabula Phebi respicit sponsos ignaros qui maxime odiunt eos qui eis adulteria coniugum suarum nuntiant vel enarrant.

De Pallade. Fabula nota est quod Vulcanus motus in eam concumbere voluit cum eadem. Sed dum contendunt pariter semen fudit in terram. Grece enim eris contentio, vero thon terra dicitur, ex quibus duobus componitur Erictonius; Pallas vero nubem interposuit in qua Vulcanus semen emisit et ex illo semine natus est Erictonius; hic fuit rex Atheniensibus temporibus Iesu Nave. Quod Pallas Erictonium clausum tradidit tribus sororibus, mandans ne videre presumerent secretum suum, sed ille contrafecerunt, significat quod nullum secretum potest esse inter feminas. Nempe quod magis eas ab ulla re prohibueris, eo citius ad contrarium inclinantur. Nempe illud solum celari potest quod mulier nescit. Expositio de Corvo:

Corvus. Iam esse sacratus dicitur quod lxiiii[or] vocum interpretationes habet et ad Phebum pertinet vocum interpretatio, vel quia futuras presignat tempestates sicut et Phebus. Corvus quia Phebo Coronidis adulterium manifestavit, de albo in nigrum mutatus fuit. Quia dum dominum suum habuit propitium estimabatur candidus, cum adversum niger est reputatus. Corvus in tutela Apollinis, cum eo missus esset cum cratere ad fontem, inveniens ficus non dum maturas, exspectavit donec maturescerent, unde fit ut quamdiu ficus non coquantur bibere non posset.

De Esculapio. Esculapius filius fuit Apollinis et Coronidis, id est sapientie et mortalitatis, quia homo fuit sapientissimus. Cuius mater scilicet mortalitas terrenis intenta et non sapientie adulteravit, id est a sapientia deviavit; quam Apollo sagittavit, id est sapientie argumentis

27-28 Arn. 2.9.
40-43 . . .Erictonius, cf. MV[3] 10.3.
43-44 hic. . . Aug. *CD* 18.12.
44-49 PB 2.18.
50-55 Arn. 2.7.
55-58 MV[3] 8.14.
59-88 Arn. 2.8.

31 sero] cera
41 eris, thon] *MV*[3]: ἔρις, χθὼν
50 secretus | xliiii [or]
53 in] et

confutavit; sed tamen filius cum matre non periit, quia qui sapiens ||47v| est cum ceteris terrenis mortalibus intendendo non perit, sed a sapientia preservatur. Qui dictus est Esculapius ab Esclapias greco quod est dure faciens, quia iste tertiam partem medicine, id est cirurgiam, adinvenit. Tres sunt nempe species medicine: Cirurgia que fit secando cum ferro, a ciro quod est manus et urgeo, -es; potio in herbis; methodica in verbis, a methodi quod est ratio.

Filia Coronei fugiendo Neptunum mutata fuit in cornicem. Revera cum quidam piscator sive nauta eam adamaret illa eum sua garrulitate evasit, unde fingitur in cornicem esse mutata que est avis garrula. Hanc castam Pallas in suo recepit consortio, sed postea cum revelasset Palladi quod Erictonium tres inspexissent puelle, de consortio Palladis est eiecta et mutata de alba in nigram. Quod ideo fingitur quia domine sue perdidit amicitiam, sicut de Corvo dicitur.

Iuno secundum quosdam vulvam suam percussit et inde natus est Vulcanus, qui de celo expulsus est propter suam turpitudinem, in Lempnos insulam a simiis est nutritus. Sed postea fabricavit fulmina Iovis et presentavit ei in conflictu deorum et gigantum. Qui postea cum videret Palladem esse pulcram eam a Iove petiit, quam Iupiter ei concessit. Quem cum Pallas refutaret et ille instaret, Vulcanus semen emisit de quo natus est Erictonius, quasi de lite et terra natus. Eris enim grece certamen latine, tonus quasi terra. Expositio:

Iuno, id est terra, vulvam suam percussit, id est se conceptivam vitiorum reddidit quemadmodum vulva conceptiva est puerorum. Inde natus est Vulcanus, id est fervor libidinis, qui propter suam turpitudinem de celo fuit explulsus. Unde poeta: 'Nec deus hunc mensa, nec dea dignata cubili est.' Constat nempe quod libidinosi celum non intrant quia non vacant celestibus, sed turpi libidinem; sed in Lempno nutriuntur a simiis, quod ideo fingitur quia Lempni sunt luxuriosissimi et ideo simiis comparentur.

Vulcanus Palladem de stupro interpellavit. Quem ||48r| cum refutaret et ille instaret, semen Vulcanus emisit unde natus est Erictonius, id est de lite et terra procreatus; eris enim lis,tonus terra dicitur. Quem Pallas inclusum in cista serpenti tradidit tribusque sororibus commendavit. Pallas ipsa est sapientia. Per Vulcanum vero ignem furoris intellegimus. Qui Palladem, id est sapientiam, sepe infestat, sed Pallas repugnat. Omnis enim sapiens ad integritatem morum conservandam contra furorem dimicat. Inde nascitur Erictonius, id est certamen terre sive invidie, quem Minerva, id est sapientia, in cista abscondit, id est in corde celat, et draconi commendat, id est sollicitudini quemadmodum serpentis pungit. Postea eum tribus commendat virginibus sororibus, id est Herse, Pandraso, et Aglauro; herse grece lis interpretatur latine; litem etenim talem quandoque pena sequitur, quandoque se punit homo tali pena pro tali lite. Pan totum interpretatur. Drason grece

88 Virg. *E* 4.62.
89-111 Arn. 2.8.

71 nata
83 et] in
83-84 Eris, tonus] *i.e.* ἐρίς, χθὼν
93 Que
95 tonus] *cf. supra, 1.10.27n.*
103 virginibus] vir omnibus
104 Aglauro] glauro

condonans latine. Aliquando enim sibi totum condonat homo quod tali lite peccavit et tunc dicitur Erictonium commendare Pandraso. A sine, glauro grece memoria latine. Inde Aglauros dicitur sine memoria. Aliquando quod homo peccat obliviscitur et tunc dicitur Aglauro Erictonium commendare.

Nictimene cum patre suo adulterata est et mutata est in noctuam que est sacrata Palladi; nictimene grecum est; detortum a greco Latini noctuam dixerunt a nix-nictis, quod est nox-noctis; dicta est Nictimene quod est noctua. Adulteravit hoc nomen, scilicet Nictimene, cum patre suo, id est cum grecismo quod illud inveniendo creavit quando latini ita in nostrum sermonem transtulerunt, nec quod in principio convenit, nec in fine hec dictio cum illa.

Hec fabula iuxta historiam vera fuit. Nictimene nempe post commissum cum patre rege Lesbiorum adulterium, ab omnibus matronis et virginibus sue patrie persecutionem et odium passa est in tantum ut non auderet luce diei ||48v| comparere, sed tenebrosa quesivit loca pro tanta infamia verecunda. Et ideo dicitur in noctuam esse mutata vel bubonem, unde Ovidius: 'Non audita tibi est patrium temerasse cubile Nictimenen? Avis illa quidam, sed conscia culpe Conspectum lucemque fugit tenebrisque pudorem Velat et a cunctis expellitur aere toto' [2.592-5].

Vulcanus pro diversa interpretatione vocabuli plerumque diversa signat. Legitur enim cum Iupiter absque matris usibus Palladem ex suo cerebro produxisset. Indignata Iuno ausa est etiam attemptare utrum sine virili auxilio posset prolem de se producere. Manu igitur posteriora sua percussit et Vulcanum de sui parte pudenda produxit. Natus est itaque Vulcanus claudus, qui tante fuit turpitudinis ut pre nimia sui deformitate de deorum consortio pelleretur et terrene mansionis exilio dampnaretur. Specialiter autem Lempnon incoluit, ibique Iovis fulminibus faber principalior dicitur constitutus. Quod Iupiter Palladem sine matris ope de suo produxit cerebro superius est expositum. De Vulcano et Iunone hec est veritas: attendenda Iuno dicitur plurimum indignari cum aer, qui Iunonis nomine designatur, fragore tonitruum et procellosa turbatione concutitur manu inferiora percutit et Vulcanum de sui parte pudenda producit, dum ex collisione varia nubium absque superioris ignis auxilio fulgur emittitur et de inferiori et fetulentiori parte aeris derivatur. Sicut ergo de Vulcano retulimus, quia ignis ille fulmineus a superiore ignium puritate degenerat et anfractuose incedit et in terram delabitur. Ideo fingitur Vulcanus claudus et turpissimus esse et terram inhabitans deorum consortia amisisse. Lempnon inhabitat et ibidem Iovis fulmina fabricat, quia Lempnon dicitur esse terra sulphurea et in fetore fulguris natura similia. Cum sic ergo per Vulcanum ignem designemus fulmineum, per ||49r| ipsum accipimus aliquem igne obscene cupiditatis oppressum; hinc est etiam quod Veneris maritus

112-118 Arn. 2.9.

137 Cf. supra, 1.10.

162-165, 168-175 Arn. 2.10.

fingitur et Lempnon incolere; Martemque cum uxore deprehensum in adulterio deorum aspectibus presentasse signat ardorem libidinis regnantem in homine Veneri esse adiunctum. Et cum hoc nomen Lempnon luctum interpretetur, ardor cum Venere penes vitiosas et immundas animas demoratur. Martem adulterum cum uxore cathenis subtilibus allegat; quotiens vis irascibilis que in homine naturaliter sita est blandimentis Veneris frangitur et a quodam sui rigore declinans adulterina similitudine detinetur. Detinetur siquidem chatenis invisibilibus, quod ad subtilitatem nexus Cupidinis referrimus. Quod autem deridendus deorum aspectibus presentatur signat quod omnis anima servituti Veneris mancipata celesti reservatur arbitrio punienda.

Ochiroe filia Chironis gemini, id est fallacia duplicitatis filia, promisit se Apollini succumbere si peritiam divinandi sibi dedisset, sed cum peritiam divinandi accepisset ei postea concubitum denegavit. Pro qua cum divinatione abuteretur mutata est in equam. 'Non fuerant artes tanti que numinis iram Contraxere michi; mallem nescisse futura' [2.659-60]. Expositio:

Ochiroe interpretatur fallacia Chironis gemini, id est duplicitatis. Fallaces enim aliud habent in ore, aliud in corde. Qui quandoque promittunt se Apollini succumbere, id est sapientie vacare. Et tunc notitiam percipiunt divinorum. Qua postea abutentes non in quodlibet animalium transformantur, sed in equam potius, que adeo est libidinosa quod sine usu masculi a vento concipit; ita illi qui seculo serviunt, id est vento vane glorie, se seducunt et assimulantur equabus qui a vento concipiunt.

CAPITULUM IV.

11-17 Cf. Hyginus, *PA* 2.38; MV^3 15.4, 8.

Chiron Centaurus puerum pium natum de Phebo et Coronide suscepit alendum. Chiron fuit media ||49v| parte homo, media parte equus, et habuit filiam vocatam Ochiroen; hec divinatrix erat et 'fatorum archana canebat' [2.639]. Que ut vidit infantem, '"Cresce, puer," dixit, "toto salutifer orbi. . . tibi enim mortalia sepe Corpora debebunt, animas <tibi> reddere ademptas Fas erit, idque semel diis indignantibus ausus Posse dare hoc iterum flamma prohibebere avita"' [2.642-6], id est Iovis qui eum fulminavit eo quod Ypolitum per equos discerptum suscitavit. '"Eque deo corpus fies exsangue deusque, Qui modo corpus eras, et bis tua fata novabis"' [2.647-8].

2 post Chiron *del.* homo

6 tibi *add.*

10 notabis

De patre quoque vaticinata est, vel quod Hercules in pugna Laphitarum Chironem vulneraret cum sagitta infecta veneno Ydre, vel quia in venatione serpentem calcabit, vel quia dum Herculem suscepisset hospitio sagittas eius infectas sanguine Ydre tractavit et una cecidit super pedem eius. Quo veneno dum cruciaretur mallet mori. Qui post dies quadraginta mortuus est et a Iove in celum translatus est, et fulget ibi sydus duodecim stellarum. Ipsa vero dum hec vaticinatur mutata est in equam. 'Edidit hinnitus et brachia movit in herbam' [2.669].

CAPITULUM V.

Tempore quo Apollo exutus est deitate quia Ciclopes occiderat qui fabricabant fulmina Iovi, et ob eandem causam a Iove iussus est esse pastor Admeti regis per septem annos, dum minus curat custodire armentum sibi commissum in Messenia, sed dat curam amoribus et fistule, incustodite boves in agros Pilios processerunt, quas Mercurius furatus est nemine sciente preter quendam rusticum qui servabat equas prope, nomine Batthum; huic ergo dixit Mercurius: ' "Quisquis es," ait, "si forte armenta requiret Hec aliquis, vidisse" ' [2.692-3] te nega et pro premio cape nitidam tibi vaccam. Tunc rusticus: ' "Tutus eas! lapis iste prius tua furta loquetur" ' [2.696] quam ego. Mercurius ergo simulat se abisse. Sed mox mutata figura redit et ait: ' "Rustice, si quas vidisti hoc in limite. . . Ire boves, fer opem et furtum" ' [2.699-700] detege et dabitur tibi vacca cum tauro. Rusticus, ut vidit mercedem duplicatam, ||50r| furtum prodit et ubi boves sint narrat. Risit Mercurius et ait rustico: tu ' "me michi, perfide, prodis? Me michi prodis?" ' [2.704-5] ait, et convertit eum in durum silicem qui nunc dicitur index tante falsitatis. Expositio:

Mercurius erat fur, tam cautus tam astutus, ut sciret facere de albis animalibus atra et econverso. Qui iuxta literam fabule furatus est armentum. Et cum timeret deprehendi indicio rustici peremit eum et sub saxum posuit, qui usque nunc dicitur index facti.

8 Hic
16 que

CAPITULUM VI.

Mercurius ex post adamavit Herse iuniorem filiam Cecropis. Cecrops nempe domum habuit cum tribus thalamis quod tribus filiabus dereliquit. Pandrasa dexterum tenuit, 'Aglauros levem, medium possiderat Herse' [2.739]. Sed Aglauros Mercurium illuc venientem prima notavit et nomen eius ausa est sciscitari et adventus causam. Qui mox quod causa Herse venerat et quod deus esset confitebatur, rogat tantum ut faveat votis eius. Illa pro 'ministerio magni sibi ponderis aurum Postulat' [2.750-1] et eum interea cogit secedere. Sed Minerva videns quod Aglauros contra suum vetitum primo vidit Erictonium et nunc poposcit aurum pro connubio sororis sue. Reputabat eam ingratam, tam sibi quam sorori, et indignata est contra eam, unde Ovidius: 'Ingratamque deo fore iam ingratamque sorori Et ditem sumpto, quod avara poposcerat, auro' [2.758-9]. Minerva proinde misit Invidiam in Aglauros, ponens ante oculos suos felix coniugium Herse deique Mercurii pulcritudinem, sicque quod exinde 'anxia nocte Anxia luce gemit . . . Et sepe mori voluit, ne quicquam tale videret' [2.806-7, 812] tam felix connubium sororis sue. Recedit Aglauros igitur in domus limine ut deum excluderet. At ille veniens blandimenta preces et verba mitissima fecit ad eam. Sed illa dixit quod se loco non moveret donec repulsisset eum. Ille vero convertit eam in saxum nigrum 'Oraque durue-

7 sui pondoris
8 interea] in terra
17 lumen

rant, signum exsangue sedebat; Nec lapis albus erat: sua mens infecerat illam' [2.831-2]. Expositio:

23-27 . . . oblivione, Arn. 2.8,12.

Aglauros interpretatur sine memoria ab A quod est sine et glauros memoria; ipsa ||50v| est oblivio que Mercurium, id est facundiam, res scilicet a facundia pertractas nititur extinguere et oblivioni tradere, sed a Mercurio mutatur in lapidem, id est facta est impotens. Prevalent enim res memorande nec omnino deleri possunt oblivione; vel iuxta historiam Mercurius Aglauros sibi resistentem allicit saxo, ex qua allicione mortua est. Et ideo dicitur in saxum mutata.

CAPITULUM VII.

9-16 Arn. 2.13.

Iupiter mandavit Mercurio armentum regis Sydoniorum ad litus maris vertere ubi regis filia Europa ludere cum virginibus Tiriis consuevit. Iupiter vero indutus 'faciem tauri mixtusque iumentis Mugit et in teneris formosus obambulat herbis' [2.850-1]. Miratur igitur Heuropa 'Quod tam formosus, quod prelia nulla minetur; Sed quamvis mitem metuit contingere primo, Mox adit et flores ad candida porrigit ora' [2.859-61]. Audaciaque concepta tergum tauri conscendit. Quam ille mox tali modo deceptam evehit et asportat. Expositio:

Iupiter in taurum mutatus Europam filiam Agenoris raptam devirginavit. Revera Iupiter rex Cretensis Europam filiam Agenoris regis Fenicie adamavit. Ad quam Mercurium, id est facundum, misit nuntium qui virgini persuasit quatinus ad litus maris accederet, que cum sic fecisset, Iupiter in navi veniens eam in litore inventam et navi impositam in Cretam portavit. Quam ibi tenens devirginavit, et quia navis eius taurum habebat in priore parte depictum, ideo dicitur eam in tauri specie rapuisse.

Explicit Liber Secundus

LIBER III

Tertius liber habet sex fabulas principales. Prima est de Cadmo et serpente Martio que sic incipit: 'Iamque deus posita' [3.1].

Secunda fabula de Acteone et Diana incipit ab hoc versu: 'Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas Causa fuit luctus' [3.138-9].

Tertia fabula de Iove, Semele, et Iunone que incipit ab hoc versu: 'Sola Iovis coniux' [3.256].

Quarta fabula de Iove, Iunone, et Tyresia que sic incipit: 'Forte Iovem memorant' [3.318].

Quinta fabula de Narciso et Eccho; de Narciso sic incipit fabula: 'Cerula Liriope' [3.342]; de Eccho: 'Aspicit hunc trepidos' [3.356], et alternatim nunc de uno, nunc de alio loquitur fabula usque ad hunc ||51r| versum: 'Sic hanc, sic alias' [3.402], a quo versu totum agitur de Narcisso usque ad finem.

Sexta fabula de Pentheo et Bacho que incipit ab hoc versu: 'Spernit Echionides' [3.513], id est Pentheus ab Echione patre suo. In hac fabula continetur fabula de nautis mutatis in pisces per Bachum, cuius principium est versus iste: 'Utque putat, predam deserto nactus in agro' [3.606]. Sed ultima pars fabule est mors Penthei et finis libri tertii.

3 Prima] Plua, *corr. in marg.*

CAPITULUM I.

Agenor rex Fenicie, nesciens quo filia sua Europa devenisset, imperat filio suo Cadmo eam querere, et 'penam si non invenerit addit Exilium, facto pius et sceleratus eodem' [3.4-5]. Cadmus igitur pervagato mundo, cum non potuisset invenire sororem, vitans patris iram oracula Phebi consulit. Cui Phebus: occurret tibi bos, inquit, in arvis; '"hac duce carpe vias et qua requieverit herba"' [3.12] condas menia et voca illa Boetiam. Cadmus cum bovem invenisset secundum responsa oraculi secutus est eam et illa procubuit in herba viridi coram eo. Agit igitur grates Cadmus et peregrine terre oscula figit.

Igitur sacra Iovi facturus iubet ministros ire pro aquis vivis, id est fontalibus. Ministri dum iussa Cadmi peragunt, inveniunt serpentem maximum aureis cristis, id est lucidis ad modum auri. Cuius oculi micabant ut ignis et corpus totum tumet veneno et tres micant lingue, 'triplici stant ordine dentes' [3.34]. Iste serpens vocabatur anguis Martius quia bellicosus fuit. Qui insurrexit in Cadmi socios et occidit eos. Cadmus, dum de mora miratur sociorum, pergit et ipse videre causas impedimenti suorum, indutus pelle leonis, duo ferens hastilia et omni telo animi prestantiorem. Qui 'ut nemus intravit' [3.55] et vidit exanimata suorum corpora et draconem lingua lambentem mortuorum vulnera, magno conamine misit molarem in draconem. Sed 'serpens sine vulnere mansit' [3.62], defensus squamis suis et duritia pellis atre; tandem Cadmi iaculo confossus est, et dum Cadmus consideraret immanitatem serpentis a se occisi audivit vocem, sed unde venisset nesci-

vit, dicentem: '"Quid, Agenore <nate>, peremptum ||51v| Serpentem spectas? et tu spectabere serpens"' [3.97-8]. Ille audita hac voce diu pavidus perstitit donec Pallas eius fautrix affuit et docuit ut dentes vipereos seminaret in terra. Qui cum iussa Minerve fecisset mox cernit inde seges clipeata virorum. Igitur 'Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat' [3.115]. Ad quem 'unus de populo quem terra creaverat Exclamat "Ne te," inquit, "civilibus bellis inseras!"' [3.116-7]. Quo dicto mox vidit quemlibet insurgentem in alium et perimentem. Quinque tandem superfuerunt de militibus terrigenis quorum unus, Echyon nomine, monitu Minerve proiecit arma sua et fidem fraterne<que> pacis petiit atque dedit. Hos operis comites habuit Cadmus quando posuit muros Thebanos ex responso Phebi. Expositio:

Rapta a Iove Europa tres fratres missi sunt pro ea requirenda: Phenix a quo dicta est Fenicia, Cilix a quo dicta est Cilicia, et Cadmus qui repatriare nolens, consilio Apollinis, id est sapientie, in quo loco bos iacebat urbem fundare voluit in Grecia; revera sapientissimus fuit qui in Greciam de Fenicia veniens, ubi iam invente erant litere in lingua hebraica, voluit doctrinam literarum manifestare Grecis ubi bos iacebat, id est ubi homines plus erant intenti ventri quam studio. Et ideo misit socios, id est discipulos, ut vivas sibi quererent aquas, id est auditores vividi ingenii. Qui venientes ad fontem, id est locum ubi copiam esse putabant subtilium, dum aquas vivas haurirent, id est discipulos facundia sua allicerent, excitato serpente ab eo sunt occisi. Quod ideo fingitur quia facundiores se invenerunt qui eos in perorando confutaverunt. Cadmus vero pelle leonis indutus, id est audacia magna preditus, duo ferens hastilia, id est facundia et sapientia armatus, socios confutatos disputando vindicare desiderans, contra serpentem saxum impellens, id est quasdam argumentationes nullius utilitatis obiecit, que nichil serpenti, id est calliditati indigenarum, nocere potuit. Tandem iaculo, id est acutioribus et subtilioribus sententiis, eum confixit. Postea dentes serpentis seminavit, id est invenit Grecas literas. Unde dicitur 'Grecorum primus ||52r| vestigat grammata Cadmus.' Litere Grece dentes serpentis dicte sunt potius quam alie quia astutiores fuerunt Greci quam alii, vel quia astutiores sunt homines professionis quam laici, vel propter satiricos quia mordaces sunt. De dentibus igitur, id est de literis, nati sunt armati milites, id est rethores qui contra adversariios suos ac si armati sint confligunt, et misso iaculo a Cadmo inter eos, id est questione aliqua mutuo se occidunt, id est mutuo opponentes et respondentes asserentes et destruentes se confutant et confundunt. Quinque tamen remanserunt quorum consilio et auxilio urbem fundavit Cadmus, id est quinque vocales superstites extiterunt sine quibus non est dictio, quarum auxilio fundantur omnes doctrine. Ista expositio est allegorica et poetis nonnullis sit intellecta.

Sed dicitur quod veraciter iuxta historiam Cadmus profectus est ad querendum sororem suam et responsum accepit oraculi de civitate

36-65 Arn. 3.1.
54 Theodulus 131.

24 nate *add.*
44 vividi] mundi
57 *Arn.*: homines poetice professionis

condenda in loco ubi bos iacuerat, et quod socii per serpentem perempti sunt et quod ipse serpentem occiderit. Cetera vero de seminatione dentium et que sequuntur figmenta sunt et allegorice, ut premittitur, exponenda.

CAPITULUM II.

Iam Cadmus Thebas construxerat, iam poterat videri felix exilio, cui soceros contigit esse Martem et Venerem, quia ipse duxit Harmoniam filiam Martis et Veneris, et de tanta coniuge multos filios et filias generaverat et ex hiis nepotes multos viderat. 'Sed scilicet ultima semper Exspectanda dies homini est, dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet' [3.135-7]. Nempe inter tot res prosperas prima causa luctus fuit nepos suus Acteon. Acteon fuit nepos Cadmi de filia Autonoe dicta. Qui dum per nemus ignotum pererrat post venationem, pervenit in lucum ubi Diana cum suis nymphis in quodam fonte se lavabat, viditque eam sine veste. Cuius color erat similis nubibus ab ictu solis repercussis aut aurore purpuree, 'Is fuit in vultu vise sine veste Diane' [3.185]. Que mox vultum Acteonis et comas perfudit aquis ultricibus et statim ||52v| 'Dat capiti sparso vivacis cornua cervi' [3.194], et eum totaliter in pavidum cervum mutat; nec plura fugit Acteon filius Autonoes, 'Et se tam celerem cursu miratur in ipso. Ut vero vultus et cornua vidit in unda, "Me miserum!" dicturus erat; vox nulla secuta est' [3.199-201]. Tunc ingemuit et lacrime per ora influxerunt, 'mens tamen pristina mansit' [3.203]. Igitur dum dubitat an lateat silvis an domum redeat, canes eum viderunt et eum fugientem velociter insequuntur. 'Sed heu! canes et famulos fugit ille suos; clamare libebat: "Acteon ego sum: dominum cognoscite vestrum!"' [3.229-30]. Sed verba desunt animo. Tandem a canibus captus est. Qui 'lacerant dominum falsi sub ymagine cervi, Nec nisi finita per plurima vulnera vita Ira pharetrate fertur satiata Diane' [3.250-2]. Expositio:

Acteon venator medio die Dianam invenit nudam. Unde mutatus fuit in cervum et postea a canibus propriis dilaceratus. Revera Acteon venator de media die, id est in medio etatis sue, vidit Dianam nudam, id est inutilem. Nempe Diana dea venationis pro venatione ponitur, sicut et Mars deus belli pro ipso bello; Acteon ergo cum vidisset Dianam, id est venationem, nudam, id est infructuosam, abhorruit venationis actum. Qui fingitur mutatus in cervum qui animalibus ceteris timidior esse dicitur, scilicet quia periculum venationis fugit; sed tamen affectum canum non dimisit, quos inaniter pascendo omnem substantiam suam perdidit et ideo de canibus suis fertur devoratus.

25-34 Arn. 3.2.

2 Hermionem
10 nubibus *in marg.*
11 Is *in marg.*
24 sociata

CAPITULUM III.

Iupiter adamavit Semelem que fuit filia Cadmi de progenie Agenoris, et impregnavit eam Bacho; sed Iuno Iovis uxor invidit et transformavit se in nutricem Semelis, valde vetulam Beroe vocitatam. Que

1-21 PB 3.7.

monuit eam ne forte alius sub nomine Iovis concubuisset cum ea, quia multi sic dicebantur nomine deorum thalamos inisse pudicos, ut proxima vice qua Iupiter veniret ad eam ab ipso unum donum in genere postularet. Quod cum ipse promitteret, illa peteret ab eo ut in illa forma se sibi coniungeret qua cum Iunone solebat coniungi quando coirent. Semeles cedit consilio simulante nutricis et petit ||53r| a Iove simpliciter unum donum. Cui Iupiter '"Elige!" ait, "nullam patiere repulsam"' [3.289]. Et iuravit illi per torrentem Stigem quod quidem iuramentum nullo modo potuit violari. Tunc illa ut edocta fuerat petiit ut talis ac tantus sibi coniungeretur qualis ac quantus Iunoni solebat coniungi. Iupiter 'ergo mestissimus altum Ethera conscendit' [3.298-9], scilicet secum traxit nubila, nimbos et ventis mixta fulgura 'et tonitrus et inevitabile fulmen' [3.301], et cum hiis intrat domum Semelis. Sed 'corpus mortale tumultus Non tulit etherios' [3.308-9], sed mox sacris ignibus est combustum. Sicque Semeles per deceptionem Iunonis in vetulam transformate petiit id quod sibi nociturum erat. Expositio:

Iupiter accipitur pro aere superiore, Iuno pro inferiore, in quorum coniunctione fiunt tonitrua et ignes de quibus Semeles non cavebat. Per Semelem debemus intelligere terram in quam semen proicitur, sed non nutritur in ea, sed crescit in aera quod habemus per Iovem et ibi nutritur et indurescit. Nam sequitur in fabula 'Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur patrisque tener. . . Insuitur femori materna tempora complet' [3.310-2]. Et ex post narrat fabula quod Ino matertera pueri, que fuit soror Semeles, illum primis cunis furtim educat, et postea nymphe de Nisa civitate eum occuluere suis antris et lactis alimenta dedere.

Nymphæ Nyseides, id est de Nisa civitate que est in monte Citherone et est in altera summitate montis Parnasi, Bachum occuluerunt et nutriverunt, id est homines illius patrie vineas ibi plantaverunt et coluerunt, vel quod est verius ipse Bachus docuit eos primitus vineas colere et plantare. Expositio veterum poetarum:

Iupiter amans Semelem Bacho eam impregnavit; ad quam Iuno veniens assumpta forma vetule ei persuasit ut tale quidem peteret a Iove, unde fulminari meruit. Iupiter est ether, id est ignis per quem habemus ardorem et furorem potandi. Qui Semelem, id est dissolutionem amans, quia Semele interpretatur corpus dissolutum et dissolutis potius subintrat ardor ille potandi quam aliis, ad eam veniens Bacho eam gravidat, id est vitio eam ||53v| inebriat. Quam Iuno volens decipere, id est muliebris fragilitas que maior est virili, sicut Iuno inferior est Iove marito, eam facere fecit, unde Iove fulminaretur, id est impatientia veniens ex fragilitate sexus muliebris facit eam vacare potationi adeo quod ex nimietate vini exterminata redditur. Sed in specie vetule dicitur Iuno illud persuasisse, ideo quod vetule vinatiores sunt quam femine iuniores.

Et notandum quod Bachus dictus est 'bis genitus' [3.317]. Primo de matre, secundo de Iove patre, quia terra primo producit semina ad

35-46 Arn. 3.3.
48-49 quia. . . cf. MV3 3.2.

30 Nymphæ] Nympha, *corr. in rec. man.*
36 quid
43 unde] unam

herbas, ether herbas producit in segetes. Vel vinea primo in terra producitur, postea per aerem proficit et nutritur; vel quia terra radicem fovet, aer stipitem, fructus et folia producit adesse, unde 'Tutaque bis geniti sunt incunabula Bachi' [3.317]. Incunabula est dictio uva.

CAPITULUM IV.

Iupiter inter hec iocose dixit Iunoni coniugi sue quod maior fuit voluptas mulieribus in actu venereo quam viris. Illa ergo negat hoc, asserens contrarium fore verum. Dumque super hac re contenderent, placuit querere que sit sententia Tyresie: Venus huic utraque nota fuit. Nam quondam in silva viderat duos magnos serpentes coeuntes quos ictu baculi violavit, et statim, mirabile dictu, de viro femina facta est et septem annis ita permansit. Octavo rursus eosdem serpentes vidit coeuntes et dixit: Si vestre tanta potentia plage est ut sortem meam mutet, '"Nunc quoque vos feriam." Percussis anguibus isdem Forma prior rediit' [3.330–1], et iterum de femina vir factus est. 'Arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa Dicta Iovis firmat' [3.332–3]. Quod Iuno gravius iusto ferens eum excecat, unde Ovidius: 'Iudicis eterna dampnavit lumina nocte' [3.335]. Sed Iupiter 'pro lumine adempto' illi 'Scire futura dedit, penamque levavit honore. Ille per Aonias fama celeberrimus urbes'—id est Troianas—'Inreprehensa dabat populo responsa petenti' [3.337–40].

Rei veritas fuit quod iste Tyresias fuit sodomita et ideo dicitur conversus de viro in feminam et iterum de muliere in virum. Expositio antiquorum:

Tyresias serpentes vidit duos concumbentes, quos cum virga percussisset in ||54r| feminam conversus est. Iterum post seriem temporis eos concumbentes vidit. Quibus similiter percussis iterum conversus est in pristinam formam suam. Ideoque dum de amoris qualitate certamen Iuno et Iupiter habuissent, eum iudicem quesierunt. Ille dixit tres uncias voluptatis habere virum et novem mulierem. Iuno irata lumen ei ademit; Iupiter vero divinitatem ei concessit, id est spiritum divinationis. Greci enim quam stupendo mendacio tam admirando commento, Tyresiam in modum temporis posuerunt. Tiresias, id est estiva perennitas, in verno tempore quod est masculinum, quia eodem tempore soliditas est germinum, dum coeuntia sibi ad effectum animalia vidit, eaque virga, id est fervoris estu, percussit et in femineum sexum convertitur, id est in estatis fervores. Ideo estatem in modum femine posuerunt quia omnia patefacta eo tempore suis emergant folliculis, et quia duo concipiendi sunt tempora, veris et autumpni. Iterum conceptu prohibito <ad pristinam redit ymaginem. Autumpnus> enim <ita> masculino tempore omnia constringit. Denique duobus elementis arbiter queritur, igni atque aeri, de genuina amoris vel voluptatis ratione certantibus et denique iustum profertur iudicium; in fructificandis enim seminibus dupla aeris quam ignis suppetit. Aer enim et matu-

20–45 Arn. 3.4.

8 mittet

22 vidit. Quibus similiter] vidit simul. Quibus

26 divinitatem] *Arn.*: artem divinandi

30 dum coeuntia] ducentia

34 Iter

35 ad. . .Autumpnus *add.*

36 ita *add.*

37 genuia [*Arn.*: genetiva]

rat in glebis et producit in foliis. Sol vero tantum maturare novit in granis. Nam, ut hoc certum sit, cecatur a Iunone, illa enim causa, quod nubilo caligante hiemis tempus nigrescat. Iupiter vero occultis vaporibus conceptionalem fecit futuri germinis, id est quasi subministrat prescientiam. Nam ob hanc causam etiam Ianus bifrons dicitur, eo quod preterita respiciat et futura.

CAPITULUM V.

1-5 Cf. PB 3.11.
29-38 Arn. 3.5-6.

18 silvis] filius, *corr. in marg.*

Cum Tyresias Iovis dono daret responsa certissima petitum fuit ab eo siquidem filius Liriophe nymphe, qui fuit iuvenis forme pulcherime Narcisus dictus nomine, diu victurus erat. Qui respondit quod sit '"si se non noverit"' [3.348]. Quasi diceret diu vivet si formam et pulcritudinem suam non videat. Sed 'vana diu visa est vox auguris' donec 'exitus illam Resque probat' [3.349-50]. Nam cum attigisset vicessimum primum annum et iam a multis puellis amaretur, ||54v| superbia forme sue cunctos despexit; hunc Eccho nympha vocalis ut vidit cervos venari amavit. Hec tunc erat corpus, non vox, et tamen non alium usum habebat oris quam nunc habet 'reddere de multis ut verba novissima posset. Fecerat hoc Iuno quia, cum deprehendere' [3.361-2] sepe potuisset Iovem concumbentem cum nymphis, illa Iunonem longo sermone tenebat dum fugerent nymphe. Sed cum Iuno hoc comperisset, '"Huius," ait, "lingue, qua sum decepta, potestas Parva tibi dabitur vocisque brevissimus usus"' [3.366-7]. Res minas Iunonis confirmat. Nam hec in fine loquendi tantum voces ingeminat auditaque verba reportat. Hec ergo ut vidit Narcisum incaluit, sed quia spreta fuit ab eo latet silvis pudibunda, et ex illo tempore solis vivit in antris, in saxum conversa. Nam 'Vox manet, ossa ferunt lapidis traxisse figuram' [3.399]. Narcisus post hec, dum bibit de fonte puro et videt formam propriam, illa aqua adamavit, eam putans corpus esse, non umbram, et in forma quam videt 'Cuncta miratur, quibus est mirabilis ipse' [3.424]. Dumque cupit assequi forma quam videt et non valet, pre tristitia caput fessum reclinavit in herba et confestim lumina sua mors clausit. Quem planxerunt sorores Naydes et 'planxerunt Driades; plangentibus assonat Echo' [3.507]. Et cum feretrum pararent corpori, 'nusquam corpus erat; croceum pro corpore florem Inveniunt foliis medium cingentibus albis' [3.509-10]. Expositio:

Per Narcisum accipitur arrogantia que multis placeret, sed si et illi placerent arroganti. Per Echo habere possumus bonam famam que arrogantem amaret et benedicendo extolleret nisi ipse ceteris se preferendo bonam famam contenderet. Quia igitur contempta fuit, latuit nichil boni dicendo de illo et mutata in lapidem dicitur, quia in locis saxosis melius resonat echo quam alibi.

Narcisus vero umbram suam amasse dicitur quia propriam excellentiam ceteris rebus pretulit, unde deceptus deficiendo cum iam nul-

lius haberetur momenti mutatus est in florem, id est in rem inutilem que cito emarcuit ad modum floris.

CAPITULUM VI.

Cognito responso ||55ʳ| Thiresie de morte Narcisi crevit fama auguris, sed 'Pentheus contemptor superum presaga deridet Verba senis' [3.514-5]. Iste Pentheus nepos fuit Cadmi ex filia Agave et Echione, qui unus fuit de quinque superstitibus militibus qui creverunt de serpentinis dentibus. Pentheus ergo improperat seni Thyresie cladem sue cecitatis, cui ille ait: '"Quam felix <esses>, si tu quoque . . . Qua novus huc veniet, proles Semelia Liber, Quem nisi"' [3.517, 520-1] honorare volueris, corpus tuum laceratum mille locis spargetur, 'et sanguine silvas Fedabis matremque tuam' Agavem 'matrisque sorores' [3.522-3], id est Autonoen et Yno. Et factum est ut post paucos dies adesset Bachus ad celebrandum festa Bachanalia in monte Citherone. Ad orgia cuius 'turba ruit, mixteque viris matresque nurusque' [3.529], et vulgus et proceres ad ignota sacra feruntur, sed Pentheus et sacra nititur impedire et mittit qui Bachum capiant et ad se vinctum ducunt, sed nuntii redeunt cruentati. Et querenti domino ubi esset Bachus, Bachum vidisse negarunt, tamen hunc cepimus famulum comitemque sacrorum et tradunt ei manibus post terga ligatis quendam Acestem vocatum. Cui Pentheus: '"O periture" inquit . . . "ede nomen tuum nomenque parentum Et patriam, morisque novi cur sacra frequentes." Ille metu vacuus, "nomen michi" dixit "Acestes, Patria Meonia est"' [3.579-83], id est Lidia iuxta Friges. Unde fuit 'humili de plebe parentis' [3.582], pater piscator, qui moriens '"michi nichil reliquit Preter aquas, unum hoc possum appellare paternum. . . . Forte petens Rodum Chye telluris ad horas Applicor"' [3.590-1, 597-8] ubi unus ex sociis Ofeltes nomine predam, ut putavit, in agro captam ducit ad navem, scilicet puerum quasi forma virginea, qui velut 'mero sompnoque gravis titubare videtur' [3.608], sed tamen ego suspicabar divinitatem esse in puero, resistoque sociis volentibus eum transportare. Dumque contendimus ille velut nostris evigilatus iurgiis, '"Quid facitis? quis clamor?" ait' [3.632]; qualiter '"Huc. . . perveni? quo me deferre paratis?"' [3.633]. Cui socii monita statim dabant, ut me tamen poneret et diceret quo transportari ||55ᵛ| vellet. Naute invenientes Bachum et predam esse putantes eam navi imposuerunt, quem quia dimittere noluerunt, in pisces Bachus eos mutavit. Veritas rei est: Naute invenientes Bachum in litore, ut carius venderent, navi imposuerunt, de quo nimis potantes in mare ceciderunt, unde fictum est eos in pisces mutatos.

'"Naxon" ait' Bachus (nam et ipse Bachus fuit), '"cursus advertite vestros. Illa michi domus est"' [3.636-7]. Cui socii mei fallaces iurant per mare et omnia numina illuc enim transvecturos, sed dum ego Naxos cursum dirigo socii mei contradicunt et de meis manibus regimen ratis

32-36 Arn. 3.8.

rubr. om.

4 crevere

6 esses *add.*

9 Fedales

21 post plebe *del.* omerus [?]

23 Rodum] *Ovid.*: Delon

29 ait] aitur

rapiunt. 'Tum deus illudens, tamquam modo denique fraudem Senserit, e puppi pontum prospexit. . . Et flenti similis, "non hec litora, naute, Promissistis" ait. . . . "Que gloria vestra est Si puerum iuvenes, si multi fallitis unum?"' [3.650-5]. Et hiis dictis convertit omnes eos in pisces. 'De modo viginti (tot. . . navis illa ferebat) Restabam solus, pavidus gelidusque trementi Corpore' [3.687-9]. Sed cor 'meum firmat deus, "excute" dicens "Corde metum Chiamque tene." Delatus in illam Accensis aris Bacheia sacra frequento' [3.687-91]. Pentheus non dans fidem hiis sermonibus Acestem coniecit in vinculis, sed ille repente solvitur et aufugit. Nam dum 'Instrumenta necis ferrumque ignesque parantur, Sponte sua patuere fores' [3.698-9] et cathene nullo solvente cecidere. Pentheus iratus vadit ad locum ubi festa celebrantur ad impediendum celebrantes. Quem ut vidit Agaves mater sua de summo monte venientem in silvis subiacentibus convocat sorores suas Autonoen et Yno, monens ut occurrerent apro venienti. Nam in apri specie apparuit illis, quia pre ebrietate insanierunt, et mox in unum ruit omnis turba furens, sed mater primo percussit. At ille clamavit opem matertere sue Autonoes, sed illa mox dextram precantis abstulit et altera pars rapta est per Yno, aliam materteram suam. Tunc ostendens membra truncata matri, '"Accipe, mater!" ait,' quibus 'visis ululavit Agave' [3.725]. 'Talibus ||56r| exemplis mites nova sacra frequentant' [3.732]. Expositio:

Pentheus contemptor Bachi, mittens famulos suos causa capiendi eum, qui Acestem pro eo capiunt in quem Bachus se mutaverat, qui incarceravit Acestem, eumque tamen tenere non potuit; postea Bachus fecit eum interfeci a matre sua. Pentheus revera religiosus fuit et contemptor ebrietatis. Unde sacrificantes Bacho, id est potationi vacantes, a potatione abstenebat; quod ex ipsius nomine perpendi potest: Pentheus enim interpretatur totus in deo a pan quod est totus et theos deos. Qui misit ut teneretur Bachus, id est ille qui alios ad potationem solicitabat. Sed captus fuit Acestes in quem Bachus se transformaverat, id est quia vino omnino possessus fuerat quod ipsius nomen ostendit. Acestes enim sine cingulo dicitur. Quod <A> grecum sine latinum, cestum cingulum; inde Acestes, id est sine cingulo, id est dissolutus dicitur. Tales siquidem festa Bachi faciunt; dissolutum igitur, id est ebrium, Pentheus, id est religiosus, ligavit et incarceravit ad horam, id est a potatione retraxit. Postea Agave eius mater insana, id est ebria, quia ebriis interesse voluit eum interfecit, sicut multi adhuc in Anglia occiduntur.

De quibusdam mulieribus dicitur in sequenti libro quod festa Bachi contempnebant, nec volebant colere, et ideo repente tele et instrumenta texoria versa sunt in calices et in vites. Ipse vero femine converse sunt in vespertiliones. Expositio:

63-79 Arn. 3.7.
80-83 Cf. PB 4.9.

58 precantis] pre tantis
60 Accipe] *Ovid*: Adspice
73 A *add.*
74 *post* cingulum *del.* sine
78 *Arn.*: interesse non voluit

Mulieres que primo non curant de Bacho postea assuefacte vino ebriosi fiunt, ita ut telas et possessiones suas in vites <et> vinum vertunt in calices. Que ipse vespertiliones fiunt cum pre verecundia postquam omnia consumpserint de nocte et occulte fugiunt et recedunt et more vespertilionum de die latent.

Explicit Liber Tertius

84-88 Cf. Arn. 4.14.
85 et[1]] ut | et[2] *add.*
86 ipse] fiunt

LIBER IV

Quartus liber habet duodecim fabulas principales. Prima de Alchitoe fabulatrice, et in eadem Bachi nomina et de Dirce et filia sua et Naide. De Dirce et filia sua sive Naide fabule breviter tanguntur ab hoc versu: 'Cogitat ||56v| et dubia est' [4.44], in septem versibus et divisio [*id est* 4.44-51a].

Secunda fabula de Piramo et Tisbe que incipit ab hoc verbo: 'An que poma alba ferebat Ut nunc nigra ferat' [4.51-2].

Tertia fabula de Marte, Venere, Sole et Vulcano que sic incipit: 'Primus adulterium Veneris cum Marte putatur' [4.171]. In hac fabula Vulcanus Iunonigena et Lempnius appellatur [173, 185].

Quarta fabula de Sole, Leuchotoe et Venere que incipit ab hoc versu: 'Exigit indicii memorem Cithareia penam' [4.190], id est Venus. In hac fabula Sol vocatur filius Yperionis sic: 'Quid nunc, Yperione nate?' [4.192], id est quasi filius Yperionis. In hac fabula introducitur fabula de Clitie in hoc versu: 'Invidit Clitie' [4.234]. Et ex post continuatur materia de Leuchotoe usque ad transformationem eius. Deinde sequitur transformatio Clities ab hoc versu: 'At Clitien, quamvis amor' [4.256].

Quinta fabula de Mercurio, Venere et Hermafrodite que incipit ab hoc versu: 'Mercurio puerum diva Cithareide natum' [4.288]; Cithareide, id est Venere. In hac fabula Hermafroditus dicitur Athlantiades quia fuit filius Mercurii, qui fuit nepos Athlantis; huic fabule premittuntur quinque fabule secundarie, videlicet de Daphnide que sic tangitur: 'Vulgatos taceo' [4.276]; de Sitone que sic infertur: 'Nunc loquor ut quondam nature iure novato' [4.279]; de Celmo que sic introducitur: 'Te quoque nunc adamas' [4.281]; de Curetis que incipit ab hoc verbo: 'Largoque satos Curetas ab ymbre' [4.282]; de Croco et Simplace que tangitur in hoc versu: 'Et Crocon in parvos versum cum Simplace flores' [4.283]. Novissime introducitur natura fontis Salmacis que mutat viros in feminas et incipit ab hoc verbo: 'Dulcique animos novitate' [4.284].

Sexta fabula de mutatione sororum in vespertiliones que dicuntur Meneydes, id est filia Menei, et incipit ab hoc versu: 'Resque fide maior, cepere virescere tele' [4.394].

Septima fabula habet figmentum poeticum ut Iuno infernum adiit et Megeram vocavit, que furorem immisit Athamanti et Ynoni sue coniugi, utque 'Imperium, promissa, preces confudit in unum' [4.472] et de sobriis fecit insanos, que incipit ab hoc versu: 'Protinus Eolides' [4.512]. Eolides dicitur Athamas qui fuit filius Eoli. In hac fabula tangitur quomodo ||57r| famule Leuchotoes, que interpretatur mater, verse sunt in saxa vel volucres.

Octava fabula de mutatione Cadmi et uxoris sue in serpentes que incipit ab hoc versu: 'Num sacer ille mea traiectus cuspide serpens' [4.571].

25 quandam
28, 29 Simplace] *i.e. Smilace*

Nona fabula de Acrisio et filia sua Dane et filio filie sue Perseo, qui peremit Gorgones, incipit ab hoc versu: 'Solus Abantiades' [4.607], id est Perseus ab Abante proavo suo. Et in hac fabula introducitur fabula de cruentis guttis capitis Meduse cadentibus in Libie regione. Unde frequens illa est infestaque terra colubris, sed tamen hoc est decimum capitulum quarti libri nostri.

Decima fabula de Perseo et Athlante verso in montem que incipit ab hoc versu: 'Iamque cadente die veritus se credere nocti Constitit Hesperio, regnis Athlantis, in orbe' [4.627-8]. In qua dicitur 'Iapetionides Athlas fuit' [4.632], id est filius Iapeti. In hac fabula tangitur fabula de pomis aureis in hoc versu: 'Arboree frondes' [4.637]. Mutatio Athlantis in montem incipit ab hoc versu: '"Accipe munus!" ait' [4.655], et hoc est undecimum capitulum libri quarti.

Undecima fabula de Perseo et Andromada que propter procacitatem matris sue iussu Hamonis, id est Iovis, fuit exposita marine belue, que incipit ab hoc versu: 'Ethiopum populos' [4.669], et est capitulum duodecimum libri presentis.

Duodecima fabula de corallio et eius natura, qualiter mutatur de viminibus in lapides, que incipit ab hoc versu: 'Ipse manus hausta' [4.740]. Et in progressu 'imponit Phorcinidos ora Meduse' [4.743], id est Phorci filie, et est capitulum tertium decimum huius libri.

CAPITULUM I.

Alchitoe Minei filia facere sacra Bachi cum sororibus suis contempnit, dans operam lanificio dum alie femine regionis admonita sacerdotis Bachi conveniunt, et 'pensa reponunt Thuraque dant Bachumque vocant Bromeumque Lyeumque Ignigenamque satumque iterum solumque bimatrem; Additur hiis Niseusque indetonsusque Tyoneus Et cum Leneo genialis consitor uve Nictileusque Eleleusque parens et Hiacus et Heuan' [4.10-15]. Et sequuntur verba colentium Bachum: 'Tu puer eternus, tu formosissimus alto Conspiceris celo; tibi cum sine cornibus astas, Virgineum caput est, Oriens tibi victus est. . . . Penthea tu, venerande, ||57^{v}| bipenniferumque Ligurgum Sacrilegos mactas, Tirrenaque mittis in equor Corpora, tu biiugum pictis insignia frenis Colla premis lincum sacerdotisse Bachi Satirique sequuntur, Quique senex ferula titubantes ebrius artes Sustinet et pando non fortiter heret asello. Quacumque ingrederis, clamor iuvenilis et una Feminee voces impulsaque tympana palmis. . . "Placatusque mitisque" rogant Hismenides "assis" [4.18-20, 22-9, 31]. Hec nomina Bachi posui expositurus ea ad instructionem ignorantium modo meo. Expositio nomini Bachi:

Orgia proprie sacra Bachi sunt sicut Phitia Apollinis; orgia, id est ex bonis terre; or enim bonum, ge terra dicitur. In sacris nempe Bachi multum annone et vini fundebatur; vel or cultura, unde georgica, et sacra Bachi ad culturam anime pertinent. Bachus dicitur a bachando,

19-22 Cf. MV^{3} 11.12.

21 or] *MV^{3}*: ἔργον

id est a bachor, -aris, quia insani sunt qui inebriantur. Bachanalia festi dies Bachi in quibus omnia delicta sine culpa fiebant et matrone adulterabantur. Bromeus dicitur a bromin, quod est comedere. Bachus enim comedendi dat appetitum. Inde etiam dicitur bruma, quia tunc melius comedimus, unde imbrumarii dicuntur quibus fastidium est ciborum. Lieus: liens pars est intestinorum splenis unde risus procedit, et inde Lieus. Nam ebrii multum rident. Ignigena, id est a Iove genitus qui est ignis superior, vel quia de fulmine est extractus. Satus iterum, id est de matre semel natus et iterum de femore patris. Bimater propter eam duplicem causam. Niseus a Nisa civitate ubi colitur. Tyoneus quia Bachi saltatio thias dicitur, vel a filio suo Tyoneo quem ipse mutavit quia rustici eum volebant suspendere pro bovo quam eis furatus fuerat. Leneus dicitur a leniendo quia homines lenit a curis. Genialis delectabilis. Nictileus a nictis, quod est nox, quia homines de nocte inebriantur, vel quia orgia fiunt de nocte. Eleleus ab Elide civitate Grecie. Hyacus dicitur ab hio, -as, quia venas hiare facit. Euan dicitur a voce sacrificantium et est propria laus Bachi sicut yo laus Apollinis. Euan ipse est Bachus. Inde euantes, id est insanientes. Liber quia liberat a curis homines.

Cum ||58r| omnes agerent festa Bachi, sole Mineydes contempserunt, lanificio dantes operam. Que ad alleviandum opus varias fabulas narrare decreverunt. Prima sororum dubitat, quia plurima norat, quid primum narrare velit, utrum de Dircei filia et Curbate filii Nyni privigni Semiramis et Beli, que cum se preferret deabus Palestine a Iove indignante mutata est in piscem. Quod cum videret filia eius voluit se suspendere, sed miseratione deorum mutata fuit in columbam. Expositio:

Dirce regina fuit Babilonie, primum dives, postea pauper, que dicitur mutata in piscem eo quod ad summam pervenerit paupertatem. Cuius filia dicitur in columbam mutata, quia que prius fuit intollerabilis superbia, visa matris inopia facta est mitis et pia et ideo dicitur in columbam mutatam.

Hesitat etiam an narret quomodo Nays cantu et potentibus herbis verteret iuvenes in pisces, donec idem ipsa passa est in piscem versa. Expositio:

Nays quedam venefica fuit que iuvenes eam petentes mutavit in pisces, id est quia meretrix fuit omnes cum ea coeuntes fervor libidinis fedavit, tandem ea mutata est in piscem, id est deiecta in mare a suis corruptoribus quia eos parente depauperaverat.

Finaliter placuit Alchitoe narrare quomodo arbor que primo ferebat alba poma contactu sanguinis modo nigra ferat. 'Hec quoniam vulgaris fabula non est' [4.53], taliter exorsa de Piramo et Tisbe.

26-28 Cf. Isid. *Etym.* 5.35.6

28-29 . . .rident.] liens et Lyaeus confusi sunt; cf. Isid. *Etym.* 4.7.22; 8.11.44; 11.1.127.

32 Niseus. . . cf. Isid. *Etym.* 8.11.44.

32-34 Tyoneus. . . cf. Serv. *A* 4.302; Cic. *ND* 3.23.58.

35 Cf. Serv. *A* 4.207.

37-38 Hyacus. . . cf. Virg. *G* 1.91.

50-54 Cf. Arn. 4.1-2.

55-61 Cf. Arn. 4.3.

24 materne

CAPITULUM II.

Piramus fuit iuvenum pulcherimus, Tysbe virgo decora maxime, qui contiguis domibus habitarunt in magna Babilonia quam Semiramis regina construxit. Qui dilexere se mutuo et statuerunt ut nocte silenti custodes parentum suorum fallerent et convenirent ad sepulcrum Nyni, et laterent sub umbra arboris mori que ibi fuit uberrima pomis nyveis et ardua valde fuit contermina cuidam fonti frigido. Igitur Tisbe suos fallens primo pervenit ad locum tumulum scilicet Nini regis, dictaque sub arbore sedit. Nam 'audacem faciebat amor' [4.96]. Cum ecce repente leena venit ||58v| ad fontem sanguine lenta de cede boum. Quam procul ut vidit Tysbe ad lune radios timida fugit in antrum. Dumque fugit reliquit ad terga velamina capitis sui flammeolum sive peplum. Que leena postquam potaverat in via reperiens, ore suo adhuc recenti sanguine bovis madido, ea laniavit et in silvas rediit. Piramus egressus tardius, ut vestem sanguine tinctam reperit, Heu! inquit, hec nox una duos perdet amantes. Revera putavit amicam suam ab aliqua bestia devoratam. Et multum culpavit semetipsum quod tam tarde egressus est et quod erat causa necis Tisbes. Tollit ergo mestus velamina Tysbes et ad pactum secum fert arboris umbram et dedit oscula note vesti. Et postea gladio se perforavit quo fuit accinctus. Quem moriens traxit e ferventi vulnere et iacuit resupinus humo. Cruor igitur de vulnere ebullit alte velut 'cum fistula vitiato plumbo Scinditur et tenui stridente foramine longas Eiaculatur aquas' [4.122-4]. Cruore cuius illius arboris fetus in nigram vertuntur speciem, 'madefactamque sanguine radix Purpureo tinxit pendentia mora colore' [4.126-7]. Tisbe ne falleret amantem Piramum vix adhuc metu dempto egreditur ad occurrendum ei. Que dum vidit eum peremptum percutit semetipsam. Et laniat comas suas, amplexataque corpus 'Vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori Miscuit' [4.140-1]. Et orans ut arbor illa signa cedis teneret et semper foveret pullos aptos luctibus, incubuit et ipsa ferro et se transverberans expiravit. Cuius vota tetigere deos; 'Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater' [4.165]. Expositio:

Tota premissa fabula est historia et expositione non indiget donec pervenitur ad poma mori que de albis fiunt nigra. Quod nichil aliud est quam quod alba sunt quando dum matura non sunt, et nigrescunt quando maturescunt. Quod arbor ille haberet pullos aptos luctibus, ideo dicitur bubones maxime illa arbore delectantur.

32-35 Arn. 4.4.

CAPITULUM III.

Secunda sororum Leuchonoe narrat adulterium Martis cum Venere et quomodo Sol illorum furta ||59r| Vulcano detexit, marito scilicet Veneris supradicte. Vulcanus ergo 'graciles ex ere cathenas Retiaque et laqueos que visum illorum fallere possent Elimat' [4.176-8], et lecto circumdata collocat, ut igitur Venere thorum sua coniux et adulter in

1 Leuchotoe

unum arte Vulcani vinculis nova ratione paratis subito in mediis amplexibus deprehensi sunt. Quod videns Vulcanus mox valvas patefecit admisitque deos qui viderunt eos ligatos turpiter et deriserunt. Expositio:

Mars fuit filius Iovis et rex Tracie victoriosus, unde post mortem vocatus est deus belli. Qui Venerem amasse dicitur quia quandoque vir fortis in Venerem dissolvitur, id est virtus aliquando corrupta amplexu Veneris, id est libidinis, Sole teste apparet et veritatis iudicio rea esse cognoscetur, que quidem virtus prava consuetudine favoris illiciti quasi cathena constringitur. Laquei quibus ligantur dicuntur invisibiles quia omnis amor cecus.

CAPITULUM IV.

De Phebo et Leuchotoe. Venus irata contra Solem quia revelaverat eius consilia fecit eum exardescere in amorem Leuchotoes filie Orchami regis Persarum et Eurinomes. Qui virginis intrans thalamos in specie matris sue oppressit eam. Quod comperiens Clitie, puelle Leuchotoes gesta patri Leuchotoes enarravit. Quam pater defodit in terram, sed Sol de tumulo eius produxit virgam thuream. Sol igitur reliquit amorem Clities et quam ante dilexerat non amplius amare voluit, sed 'Veneris modum sibi fecit in illa' [4.258]. Ipsa vero quotiens Sol preteribat spectabat vultus eius, et quocumque Sol vertabatur, vertabatur ad eum Clitie vultus suos donec in herbam que dicitur solsequium est conversa, unde Ovidius: 'Membra ferunt hesisse solo, partemque coloris Luridus exsangues pallor convertit in herbas; Est in parte rubor violeque simillimus ora Flos tegit; illa suum, quamvis radice tenetur, Vertitur ad Solem mutataque servat amorem' [4.266-70]. Expositio:

Apollo ||59v| fuit homo sapiens et divinator et medicus. In quibus quia singulariter excellebat fingebatur Sol, quasi solus lucens suo tempore. Vocatur etiam Phebus, quod idem est quod adolescens, quia Sol pingitur quasi puer quia cotidie oritur. Leuchotoes fuit filia regis Orchami. Quam ut Phebus deciperet mutavit se in matrem eiusdem virginis. Quod ideo dicitur quia promisit se fore tam beneficium sibi sicut mater, et sic cognovit eum, vel certe per matrem assensum puelle habuit. Quo comperto pater filiam defodit vivam, quia propter meliorem custodiam eam inclusit. Ipse autem Phebus pervictus est per eclipsim sui luminis, quia fama sue sapientie apud homines denigrata est. Sed Clitie accusavit carnis sordes. Que dum superbit, dum hac accusatione versa est in florem, id est evanuit in cogitationibus suis. Que Solem quocumque se vertit respicit, id est sapientiam admiratur, sed eam tamen assequi nullo modo potest.

CAPITULUM V.

Alchitoe iterum rogata narrare taliter orsa est: '"Vulgatos taceo," dixit, "pastoris amores Daphnidis Ydei quem nymphe pelicis ira Contulit in saxum, tantus dolor urit amantes"' [4.276-8]. Expositio:

10-14 Arn. 4.5.

13 favoris] *Arn.*: fervoris

17-18 Cf. MV³ 8.4.

25 excusatione

Daphnis pastor fuit Troianus qui cum matrimoniam duxisset, ea spreta, aliam superduxit. Sed cum ad primam coniugem postea se transferret, secunda irata eum in puteum precipitavit et multis lapidibus obruit, unde fingitur <in saxum> esse mutatus.

Item Alchitoe subintulit: Nec loquor ut quondam nature iure novato Ambiguus fuerit modo vir, modo femina Siton' [4.279-80]. Expositio:

Siton epicheni generis fuit mollis et delicatus, qui propter actionem Veneris et passionem modo subiectum dicebatur, modo vero predicatum.

Item Alchitoe: 'Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime parvo, Celmi, Iovi largoque satos Curetas ab ymbre Et Crocon in parvos versum cum Simplace flores Pretereo' [4.281-4]. Expositio:

Celmus qui et adamas fuit puer tenerimus Iovis ||60r| regis Cretensis amasius quo Iupiter abutebatur in etate sua tenera, sed in senectute sua despexit eum. Et propterea mutatus dicitur in adamantem.

Curetes sunt populi Crete qui primo erant cultores religionis et postea cessaverunt, a proposito Iupiter delevit eos ymbre; quorum Crocon erat unus qui cum Simplace uxore sua mutatus est in florem. Sed Iupiter videns nullum sacrificium sibi fieri recreavit eos ymbre. Quidam dicunt quod fuerunt nutritores Iovis et nati sunt ex compressione nubium. Dicunt nempe quod in Creta ex ymbre nascuntur fungi; et per ymbrem nimium occiduntur et iterum per ymbrem moderatum recreantur. Et ideo Iupiter dicitur eos destruere et iterum reparare.

Crocus et Simplax pueri fuere pulcherimi quorum pulchritudo emarcuit sicut flos agri et ideo fingitur mutati esse in flores.

Item Alchitoe fabulam inchoat de Hermafrodito taliter: 'Dulcique animos novitate tenebo. Unde sit infamis, quare male fortibus undis Salmacis enervet tactosque emolliat artus, Discite; causa latet, vis est notissima fontis' [4.284-7].

Hermafroditus fuit filius Mercurii et Veneris nutritus in silvis Ydeis, qui cum esset puer pulcherimus et annorum quindecim reliquit patriam et vagando pervenit ad stagnum iuxta civitatem Carastri. Nempe 'Ignotis errare locis, ignota videre Flumina gaudebat, studio minuente laborem' [4.294-5]. In hoc ergo loco fons erat limpidissimus in quo quedam nympha dicta Salmacis se balniare consuevit. Que cum vidisset puerum exarsit in amorem suum et eum de stupro solicitavit. Ille vero nesciens quod amor esset, stuprum recusavit. Illa vero desiliit ad puerum in fontem balniantem et nudum ad se stringit. Ille 'Denegat, illa premit; demissaque corpore toto Sicut inherebat, "pugnes licet, improbe," dixit, "Non effugies"' [4.369-71]. Rogavit ergo nympha deos ut numquam disiungerentur. Sicque factum est diis volentibus ut duo pariter unierent et ex ipsis una persona fieret que utrumque haberet sexum et naturam ||60v| utriusque sequeretur, et sub una facie personam duplicem sortiretur, unde Ovidius: 'Non duo sunt, sed forma duplex,

4-7 Cf. Arn. 4.8.
10-12 Cf. Arn. 4.9.
16-18 Cf. Arn. 4.10.
27-28 Cf. Arn. 4.12.
33-52 Cf. PB 4.8.

4 matrimoniam] acrimoniam
7 in saxum *add.*
35 Carastri] *PB*: Carras

nec femina dici Nec puer ut possit, neutrumque <et> utrumque videtur' [4.378-9]. Puer vero ut videt se semimarem factum esse rogavit patrem et matrem, scilicet Mercurium et Venerem, ut 'Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde Semivir' [4.385-6]. Et factum est ita. Et hec est causa quare fons Salmacis dicitur esse infamis.

48 et *add.*
50 ut] et

CAPITULUM VI.

Alchitoe cum talibus fabulis oblectaret sorores suas, vigebat opus, sprenitque deum Bachum. Cum ecce subito tele sororum cepere virescere et ad similitudinem hedere frondescere, parsque vestis abit ut frondes et que modo fila fuere in palmites transire, et de stamine exit pampinus atque uve. Nocte tenebrescente ceperunt tecta quati et domus atria videbantur ardere, et in domibus simulacra ferarum sevissimarum apparere. Alchitoe videns hec cum sororibus pre timore lumina fugit et ignes apparentes et in locis abditis se abscondit. Dumque sorores sic petunt tenebras repente mutantur in vespertiliones. 'Conateque loqui, minimam pro corpore vocem Emittunt, peraguntque levi stridore querelas. Tectaque, non silvas, celebrant lucemque perose Nocte volant seroque tenent a vespere nomen' [4.412-5]. Expositio:

Meneides, id est filie Menei, quia Bachum spernebant mutate fuerunt tele earum in vineas et ipse in vespertiliones. Revera fuerunt potatrices avidissime que contempnebant Bachum dicentes vinum sibi minime posse nocere. Unde Bachus contemptus mutavit telas earum in vineas, id est vendi fecit pro vino et vineis. Ipse vero in volucres quia venditis omnibus que habebant a patria exulantes aufugerunt. Que in vespertiliones potius dicuntur esse mutate quam in aves alias quia potius de nocte potationi vacatur quam de die, sicut et aves ille potius de nocte volant quam de die; vel quia pre paupertatis verecundia sorores non audebant coram vicinis comparere.

13-21 . . .die, Arn. 4.14.
21-22 Cf. PB 4.9.

3 ut] et
4 exit] ex in
11 Totaque
15 minime] numine

CAPITULUM VII.

||61r| Iuno indignata contra Ynonem reginam uxorem Athamantis regis pro eo quod Bachum nutrierat infernum adiit, unam de Furiis scilicet Megeram evocavit, que Athamantem et Yno vertit in furiam, ita quod statim ipsi Athamanti visum est de uxore quod esset leena et de filiis suis quod essent leunculi. Qui mox retia quesivit, canes vocavit, et unum de filiis suis scilicet Learcum, leunculum esse credens, manu arripuit et ad parietem excerebravit, unde Ovidius: 'Utque fere sequitur vestigia coniugis amens Deque sinu matris ridentem et parva Learchum Brachia tendentem rapit et bis terque per auras More rotat funde rigidoque infantia saxo Discutit ora ferox' [4.515-9]. At Yno etiam regina insana facta fugit cum alio filio nomine Melicerta et in mare se precipit, aut Yonio. Neptunus vero ad preces Veneris eos deificavit, Melicertam Palemonem vel Portunum vocans ut preesset portubus, Yno vero

1-12 . . .deificavit, cf. PB 4.10.
12-14 Melicertam. . . MV^{2} 79.

11 *PB*: precipitavit

Leuchotoen, id est deam albam, id est Auroram. Pars puellarum que eam secute fuerant vertebantur in saxa, pars vero in volucres sunt converse. Expositio moralis:

Ista fabula respicit ebriosos, quia illi qui nutriunt Bachum et qui diligunt et in se plus debito recipiunt, id est vinum, de facili fiunt insani et furibundi, ita quod quandoque tali occasione subiunguntur et contra proprios amicos insurgunt, et quandoque eos molestant vel occidunt, quia rationis iudicium per vinum perdunt et unum esse aliud sepe credunt. Nempe aliquis uxorem suam fore leenam putat, id est per ebrietatem malam et adulteram suspicatur. Et ita fit quod per vinum alii submerguntur, alii saxei, id est insensibiles efficiuntur, alii in volucres, id est in superbos et elatos vertuntur. Alia expositio antiquissima:

Yno et Athamas maritus eius de sanis facti sunt insani. Revera quia deos contempnebant, id est bonos consiliatores, fuerunt facti insani. Nec mirum si maritus Ynois factus est insanus cum <Yno> interpretetur vinum, et que ||61 v| maior insania quam ex vino nimio? Yno in mare se precipitans cum filio dicitur deificata. Revera se et filium suum precipitavit in mare ex insania. Qui finguntur esse dii pro reverentia quam homines ei exhibebant, quia illa regina fuerat, ille vero filius regis et regine. Comites Ynois quedam in saxa, quedam in aves transmutantur. Quia quedam pars earum pre nimia admiratione mutationis domine sue, id est illius que primo sobria nimis fuerat, tunc autem furiosa stupide deriguerunt. Et ideo dicuntur fuisse converse in saxa. Alie exulantes a patria aufugerunt, inde finguntur in aves esse verse quarum natura est aufugere volando.

14-25 PB 4.10.
26-33 Arn. 4.15.
33-38 Arn. 4.16.

28 Yno *add.*
30 et] in
34 pars] *Arn.*: persone
36 stupide deriguerunt] *Arn.*: stupiriguerunt

CAPITULUM VIII.

Cum Cadmus videret horrendos casus et infortunia domus sue que per diversas clades illatas per Iunonem, defecerat dolore affectus, credens quod talia contigerunt propter serpentem Marti sacratum quem diu ante peremerat, rogavit deos ut ipsi eum in serpentem mutarent, quod et factum est. Videns hoc, uxor eius illud idem precabatur. At illa in serpentem illico est conversa, unde Ovidius: 'Nuda manu feriens exclamat pectora coniux: "Cadme, mane teque, infelix, his exime monstris!. . . Cur non Me quoque, celestes, in eandem vertitis anguem?"' [4.590-1, 593-4]. 'At illis Lubrica perlucent cristati colla draconis, Et subito duo sunt iunctoque volumine serpunt' [4.598-600]. Et sunt isti serpentes iuxta fabulam cunctis innocui neminem ledentes: 'Nunc quoque nec fugiunt homines, nec vulnere ledunt' [4.602]. Ita quod adhuc sunt ibi quidam serpentes, id est in Illirico, qui de potestate istorum dicuntur provenisse, qui ledere nesciunt aut non volunt. Expositio moralis:

Per serpentem intelligitur homo prudens. Cadmus ergo post infortunia in serpentem vertitur, quia qui infortunia experitur in pru-

1-5 . . .precabatur, PB 4.11.
16-21 PB 4.11

12 nec[1]] nunc

dentiorem quam ante fuerat feliciter commutatur, quia 'sola vexatio dabit intellectum.' Tales ergo serpentes dicuntur homines non ledere, quia vir prudens qui lesiones et malitias hominum est expertus debet aliis esse mitior, et ex hiis que experte didicit debet aliis parcere. ||62r| Alia expositio in contrarium:

Cadmus post infortunia mutatus in serpentem, <quia> quando quis ad infortunia decidit et tunc pre desperatione vertitur in serpentem, id est serpentinus malitiosus et venenosus efficitur, accipiens astutiam et prudentiam mundialem fallacem et falsam, ut ad statum pristinum per fraudem reverti possit. Item alia vetus expositio:

Cadmus et uxor sua finguntur esse mutati in serpentes quia de celestibus minime curando terrenisque inhiando serpebant in terra.

CAPITULUM IX.

Acrisius filius Abantis, qui fuit filius Beli prisci, habuit fratres Agenorem et Pretum. Iste Acrisius, quia noverat in fatis esse quod per filium Danes, que fuit filia sua, interficeretur, in turri enea inclusit eam. Sed Iupiter in specie auri cecidit in gremium eius et eam commovit et ex ea genuit Perseum. Sed Acrisius nec Bachum nec Perseum Iovis esse filios credebat. Insuper et filiam cum iam filium peperisset in cistam inclusit cum filio et eos pariter proiecit in mare, vel ut quidam volunt, eam pregnantem in mare propulit. Expositi sunt tandem in Seriphon ubi Polydectes regnavit qui inventa Dane; ut liberius ea uti posset, Perseum cum adolevisset ad occidendum Gorgona misit, sperans eum a Gorgone mutari. Sed Perseus obtinuit victoriam mutato arpe a Mercurio et egide a Pallade. Cuius fabule expositio in glosis super Perseum invenitur.

Gorgones fuerunt tres sorores filie Forci, id est Stennio, Euriale et Medusa. Que unicum habebant oculum et quando videre volebant ipsum alternatim mutuabant. Erantque tante virtutis quod omnes <intuentes> eas in lapides convertebantur. Igitur cum Perseus esset iuvenis audax et strenuus missus est ad ista monstra que serpentine fuere similitudinis occidenda. Qui contra periculum lapidificationis scutum Palladis cristallinum et pennas cum arpe gladio falcato Mercurii accepit, et usque ad monstrorum habitaculum ultra Athlantem montem se contulit ubi circumquaque multos <homines> et feras lapidificatos invenit. Et primo, dum una sororum oculum communem alteri tradidit, manum ||62v| suam supposuit et oculum furatus est. Et post dum dormirent formam earum et locum in scuto cristallino conspexit, et sic ad eas occidendas absque hoc quod eas aspiceret se direxit. Ipsas ergo occidit et caput maioris secum tulit. Expositio secundum Papiam:

Gorgones quas fingunt poete meretrices fuisse crinitas serpentibus, que aspicientes convertebant in lapides, habentes unum oculum quem invicem utebantur, fuerunt tres sorores, id est Stennio, Euriale, et Med-

18 Isaias 28.19.
23-27 Cf. PB 4.11.
28-29 Arn. 4.17.

21 experte] *PB*: experimento
23 quia *add.*

12-13 Cf. supra, 1.14.
14-27 PB 4.13.
28-38 Papias, s.v. 'Gorgones,' 'Gorgon,' 'Gorgades.'

9 Polydectes] Pheloctites
17 intuentes *add.*
20 arpe cum
22 homines *add.*
23 primo] post

usa, unius pulcritudinis, Forcis filie, quasi unius oculi quia ita spectatores stupere faciebant, ut vertere eas putarentur in lapides. Gorgones dicte quasi george, id est terre cultrices, nam ge terra, orgia cultura dicitur. Gorgona fuit humanum monstrum humane forme quam siquis vidisset in saxum mutabatur. Gorgades sunt insule oceani quas incoluerunt Gorgades, femine alti pernicitate, hirsuto et aspero corpore quales adhuc cernuntur in desertis Hispanie, et ex hiis insule cognominate sunt et distant a continente terra bidui navigatione. Alia expositio:

Hec tres sorores fuerunt ditissime, unde Gorgones dicte sunt, id est terre cultrices; hec unico utebantur oculo, vel quia unius erant pulcritudinis vel quia unico utebantur regno vel unico conciliario sine quo nichil presumebant. Mortuo earum patre successit Medusa in regnum, quam qui viderunt quasi lapides deriguerunt. Has tres Perseus rex Asie devicit, truncato capite maioris, id est Meduse, mutuatis a Mercurio pennis, quia tam cito pervenit ad eas et tam cito reversus est ut volasse putabatur. Mutuatis etiam arpe, id est gladio falcato, a Mercurio et clipio cristallino a Pallade; sed de guttis cadentibus de capite Gorgonis in terram egressus Pegasus, qui terram pede percutiens fontem produxit nomine Pegasium, veritas fabule est. Gorgo enim interpretatur terror, Stennio debilitas, Euriale lata profunditas, Medusa oblivio. Hec omnia hominibus terrorem faciunt. Que omnia Perseus rex auxilio Minerve occidit.

Perseus grece virtus latine; virtus auxiliante Minerva, id est sapientia, vincit ||63^r| omnia, unde Pegasus oritur, id est fama, quia virtus omnibus superatis famam sibi adquirit. De quo fonte poete potant, id est in laudem virtutis.

Sola Gorgonum Medusa serpentinos crines dicitur habuisse. Quam Neptunus corrupit in templo Palladis, unde Pallas irata eam dampnavit, ea parte qua pulcrior existens Neptuno placuit, crinibus eius, in serpentis mutatis.

39-52 Cf. MV^3 14.1-3; Fulg. 1.26; Remigius 2.50.16.
53-56 Cf. MV^2 113.
57-60 Cf. MV^2 112.

41 utebantur] vertebantur

CAPITULUM X.

Perseus amputato capite Gorgonis, cum de sanguine eius creatus fuisset Pegasus, equus scilicet alatus et pennatus et alis in pedibus premunitus, ascendit super eum qui eum vexit circumquaque per aera. Perseus igitur voluit per deserta Libie reverti ne forte siquis Meduse caput quod portabat aspiceret in lapidem verteretur. Cum ergo sic volando Libiam peragraret, gutte sanguinis capitis Gorgonici quod portabat in terram cadentes in serpentes convertebantur, et exinde factum est quod Libia pre aliis terris serpentibus repleretur. Expositio Fulgentii:

Perseus occidit Medusam <cuius sanguine natus est equus>, quia tam cito ut aliquis virtuosus facit notabile factum, equus volucris nascitur portans eum, id est famam que ipsum et nomen strenuitatis et virtutis eius ad regiones remotas deferat et more volucris circumquaque cito volet.

1-18 PB 4.15.
8 Cf. Fulg. 1.26.

3 assensit
9 cuius. . .equus *add.*

De virtute nempe fama nascitur qua volante homo cito cognoscitur. A capite autem homines lapidificantur quando aspicientes, quod factum est pre admiratione obstupescunt et immobiles efficiuntur; verumptamen ex isto <capite> serpentes, id est vitia prodeunt quando ex virtute inanis gloria vel superbia nascitur, vel procedit invidia aliorum quibus venenum perpetue mortis propinatur. Et bene in Libia dicuntur serpentes procreari, quia homines regionis illius sunt maxime invidi et malevoli.

16 capite *add.*

CAPITULUM XI.

Cum Perseus ita volat a fine mundi usque ad finem et ab ortu usque ad occasum, iam 'cadente die, veritus se credere nocti, Constitit Hesperio regnis Athlantis in orbe' [4.627-8]. Perseus ab Athlante petit hospitium, sed negat Athlas. Athlas rex exterioris Hispanie tam magnus erat quod ||63v| celum humeris sustinebat, et habebat ortum qui mala aurea deferebat. Themis autem dea, que fuit ante diluvium Deucalionis, sibi predixerat quod unus de filiis Iovis erat mala surrepturus, unde Ovidius: 'Memor ille vetuste Sortis erat; Themis hanc dederat Parnasia sortem: "Tempus, Athlas, veniet, tua quo spoliabitur auro Arbor, et hunc prede titulum Iove natus habebit"' [4.642-5]. Propter quod Athlas aliquem de genere Iovis noluit hospitio suo recipere et precipue quia Perseus se filium Iovis esse confessus fuerat; Athlas igitur ob hanc causam eum vi et armis repelli iussit hospitio. Quamobrem iratus Perseus se finxit sibi velle conferre munera, et caput Gorgonis, id est Meduse, aversa facie attrahens Athlanti monstravit. Quod ut vidit statim in montem lapideum est mutatus, ita quod barba eius silva maxima fuit facta, humeri eius montis <facti> sunt duo iuga. Cervix eius factus est montis cacumen ita altum quod adhuc celum et stelle super illum requiescere existimantur, unde Ovidius: 'Quantus erat, mons factus Athlas; nam barba comeque In silvas abeunt, iuga sunt humerique manusque, Quod caput ante fuit summo est in monte cacumen, Ossa lapis fiunt; tum partes actus in omnes Crevit in immensum (sic dii statuistis) et omne Cum tot syderibus celum requievit in illo' [4.657-62]. Expositio:

Athlas maximus gigas fuit, nunc autem mons in Assirie dicitur; astrologus fuit peritissimus propter quod dicitur celum sustinere. Sed et mons Athlas tam altus esse videtur ut vulgares et imperiti credant in eius cacumine celum cum stellis requiescere. Athlas dicitur esse versus in montem quia cum rex esset Libie Perseo regi resistere non valebat. Et ideo cum exercitu suo in montem fugit altissimum ubi, quia diu mora fecit, dicitur in montem fuisse mutatus.

Alia fabula narrat quod in nuptiis Iovis et Iunonis Terra poma ||64r| aurea tulit, quorum gratia Iuno plantavit in orto Hesperidum, unde auree arbores nate aurea poma detulerunt. Que nequis auferret Iuno serpentem pervigilem apposuit; Hercules autem missus ab Euristeo

4-19 . . .existimantur, PB 4.16.
25-28 Cf. MV^{3} 13.4; Aug. *CD* 18.8; Serv. *A* 1.741.
28-31 Arn. 4.19.
32-37 Cf. MV^{2} 161.

8 Sortis] fortis
11 voluit
16 stantem | eius silva silva maxima
17 facti *add.*
18 est] eius
22 partus

serpentem occidit et poma abstulit. Iuno vero serpentem in celum transtulit et eum inter Ursas posuit.

CAPITULUM XII.

Athlante in montem mutato, Perseus cum equo suo ascendit in aera et circumquaque volando per regna varia, tandem Cepheia conspicit arva ubi in oppido Ioppe vidit in litore maris super unum lapidem Andromadam virginem pulcherimam regis Ethiopum Cephei filiam unicam et heredem vinculis ferreis alligatam, a quodam monstro maris sive marina belua protinus devorandam. Cuius erat tanta magnitudo quod costa postea a Scauro Romam delata nonaginta cubitos habebat in longitudine. Causa cur Andromada fuit vinculata fuit peccatum et procacitas matris sue, Cassiope nominate. Illa nempe pretulerat se in pulcritudine deabus immortalibus, que indignate filiam suam unicam quam optime diligebat condempnaverunt ab ista belua devorandam. Perseus captus pulcritudine virginis descendit et vinculorum causas inquisivit. Cognita causa miserie, convenit cum patre matreque puelle ut si virginem liberaret eam acciperet in uxorem. Pugnavit ergo mirabiliter cum monstro quod hora prefinita ascendere de mari nitebatur ut virginem devoraret. Et tamen artificiose occidit illud. Igitur 'resoluta cathenis Incedit virgo, pretiumque et causa laboris' [4.738-9]. Datur ergo virgo Perseo in coniugem iuxta condictum.

1-11 Cf. PB 4.17.

7 Scauro] *PB*: tauro | nonaginta] *sic PB; Plin. NH 9.11*: xl

CAPITULUM XIII.

Cum Perseus de monstro in armis triumphasset et caput Gorgonis super ligna posuisset et virgas, virge statim verse sunt in lapides, quarum semen in mare proiectum est et de virga lapides creati sunt et semen lapideum ||64v| protulerunt. Et iste virge sunt corallus qui in mari gignitur et extractus de aqua una cum semine suo in lapidem transmutatur. Expositio:

Quod superius scribitur de Andromada fuit res gesta ut patet per historiam Ioppe, oppidum antiquissimum orbe toto utpote ante inundationem terrarum conditum. Id oppidum saxum ostendit quod vinculorum Andromade adhuc <vestigia> retinet, quam expositam belua non irritus rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus Rome publicavit. Cuius costarum longitudo xl pedes excessit. Excelsitas fuit elephantis Indicis eminentior; vertibula spine ipsius latitudinem semipedalem supergressa sunt. Quod coralli virge in lapides mutantur non est allegoricum, sed veritati consentaneum. Coralli siquidem virge sunt. Que quamdiu sunt sub aqua naturam viminis retinent. At ubi extrahuntur ab aqua durescunt in lapides pretiosos, unde Ovidius: 'Nunc quoque coraliis eadem natura remansit, Duritiam tacto capiant ut ab aere quodque Vimen in equore erat, fiat super equora saxum' [4.750-2].

1-14 Cf. PB 4.18.

14-17 . . .pretiosus, Arn. 4.20.

2 stantem

10 vestigia *add.*

13 elevantis indiciis

Explicit Liber Quartus

LIBER V

22 et *add.*

Quintus liber habet duodecim fabulas principales. Prima fabula facit de nuptiis Persei et Andromade, sed potius hec videtur esse historia quam fabula. In qua fabula continetur mutatio Phinei in lapidem post iniustum bellum motum. In hac fabula Perseus vocatur Acrisionides [5.70], id est filius Acrisii qui fuit avus suus. Mutatio sororum Phinei in saxa et eiusdem Phinei in lapidem incipit ab hoc versu: 'Gorgone bis centum riguerunt corpora visa. Penitet iniusti nunc denique Phinea belli' [5.209-10]. In hac fabula tanguntur due fabule videlicet de Protheo et Polidecte. De Protheo fabula sic infertur: 'Victor Abantiades' [5.236], id est Perseus ab Abante proavo suo. De Polidecte fabula incipit ab hoc versu: 'Te tamen, o parve rector, Polidecte, Seryphi' [5.242].

Secunda fabula figmentum est poeticum de Pallade Musas requirente de fontis origine Pegasei. In hac fabula Perseus aurigena vocatur [5.250], quia genitus ||65r| fuit ex ymbre aureo. In hac etiam fabula tangitur de guttis capitis Gorgonis versis in equum Pegasum in hoc loco: 'Vidi ipsum materno sanguine nasci' [5.259].

Tertia fabula de Pirineo persequente Musas et in ruinam verso que sic incipit: 'Omnia terrent Virgineas mentes, dirusque ante ora Pireneus' [5.273-4].

Quarta fabula habet Pyerides que, disputantes cum Musis, verse sunt in picas <et> sic incipit: 'Musa loquebatur' [5.294]. Ista fabula continet fabulam de Typhoeo gigante et diis fugatis in Egiptum et in varia versis animalia que incipit ab hoc versu: 'Tunc sine sorte prior' [5.318]. In hac fabula Mercurius vocatur Cillenius [5.331] a Cilleno monte Archadie ubi colitur.

Quinta fabula inducit Proserpinam dantem precepta colonis in hoc versu: 'Prima Ceres unco glebam dimovit aratro' [5.341]; et in silvam Sicilie superiectam Tiphoeo giganti, de cuius spiratione dicitur tellus tremere, que sic incipit: 'Vasta giganteis' [5.346]. Inducitur etiam in hac fabula raptus Proserpine per Plutonem. In hac fabula Venus vocatur Erichina [5.363] a quodam monte in quo Erix est sepultus. Tangitur etiam in hac fabula quod nympha Ciane defluxit in fontem sui nominis ab hoc loco: 'At Ciane, raptamque deam contemptaque fontis Iura sui merens' [5.425-6]. De Plutone sic incipit fabula: 'Rex pavet ille silentum' [5.356].

Sexta fabula introducit Cererem querentem filiam Proserpinam, et secundarie mutationem filii Mesies in stellionem que sic incipit: 'Cum tectam stramine vidit' [5.447].

Septima fabula introducit Cererem terris offensam immittendo mundo sterilitatem et precipue regioni Sichanie, id est Sicilie, et incipit ab hoc verbo: 'Terras tamen increpat omnes Ingratasque vocat' [5.474-5]. In hac fabula tangitur de Arethusa nympha versa in lympham

que sic incipit: 'Pisa michi patria est' [5.494], sed hec infra magis plane narratur.

Octava fabula inducit Cererem Iovem interpellantem de restitutione Proserpine reperte apud inferos que sic incipit: 'Mater ad auditas ||65v| stupuit' [5.509]; et Aschalaphum mutatum in bubonem ab hoc loco: 'Solusque ex omnibus illud Aschalaphus vidit' [5.538-9].

Nona fabula narrat puellas Proserpine versas in Sirenas et incipit ab hoc loco: 'Vobis, Acheloides, unde Est pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?' [5.552-3].

Decima fabula fingit questionem factam a Cerere ad Arethusam cur sit versa in fontem et responsum Arethuse que incipit in hoc loco: 'Exigit alma Ceres' [5.572].

Undecima fabula narrat Cerere misisse Triptholomum ad deferendum fruges diversis regionibus, et Lincam regem Libie invidentem Triptholomo versum in lincham feram que incipit ab hoc loco: 'Geminos dea fertilis angues' [5.642]. In hac fabula Triptholomus vocatur Mopsopius iuvenis a Mopsopio avo suo materno [5.661].

Duodecima fabula concludit sorores reliquas fingens Pierides finaliter versas in picas quas vocat Achaides [5.306] a matre earum Achaia, vel ut quidam volunt, Avippede vocantur ab Avippe matre earum. Ista fabula incipit 'Finierat doctos' [5.662] et cetera.

44 Cf. infra, 5.10.
54 sit] fit
57 Libie] *Ovid.*: Scythia
63 ab] a
64 doctos] *Ovid.*: dictos

CAPITULUM I.

Dum nuptie celebrantur inter Perseum et Andromadam, supervenit Phineus cum armata manu ad occidendum Perseum et puellam rapiendam, quia sibi primo promissa fuerat in uxorem. Cui Cepheus dixit, Quid facis, o germane frater, que te furentem mens agit in facinus? Redditurne hec gratia tantis meritis? Hec illo tempore est erepta quo peritura fuit, et tunc nullam opem licet sponsus esses et patruus attulisti. Ex illis scopulis potius ubi erat affixa illam petisses. Phineus ira superatus et invidia Cepheum audire noluit, sed Perseum omnino perimere nitebatur. Perseus defendit se viriliter et plures occidit de parte Phinei ad numerum ducentorum quos omnes vertit in lapides monstrato capite Gorgonis; tandem Phineum metuentem et manus supplices protendentem et pro vita deprecantem, monstrato Meduse capite convertit in saxum, et semper staret in palatio ubi moverat iniustum bellum, unde Ovidius: '"Mansura ||66r| dabo monumenta per evum, Inque domo soceri semper spectabere nostri, Ut mea sic sponsi soletur ymagine coniux"' [5.227-9]. Mox Phineus conversus est in lapidem, ut dicit Ovidius: 'Diriguit, saxoque oculorum induruit humor, Sed tamen os timidum vultusque in marmore supplex Submisseque manus faciesque obnoxia mansit' [5.233-5]. Expositio cuiusdam:

Perseus Phineum et suos convertit in lapides per caput Gorgonis, arpe Mercurii, et egide Palladis. Per caput Gorgonis accipitur terror.

20-26 Cf. Arn. 5.1.
4 quo | meus
15 nostri] vestri
17 Deriguitque saxo

31-35 Arn. 5.2.
40-42 . . .tyranni, Arn. 5.3.

quia terribilis eis apparuit per divitias quas acceperat Gorgone interfecta, per quas plures fecit rigescere velut lapides ne in eum insurgerent. Per Mercurii arpem, qui est ensis recurvus, intelligitur facundia virtuosi per quem traxit multos in partem suam. Et hec fecit cum egide Palladis, id est cum protectione et conductione sapientie.

Perseus cum coniuge intrat muros patrios, id est Acrisii qui fuit avus suus, pater matris sue, et aggreditur Protheum fratrem Acrisii qui ipsum Acrisium regno expulerat, et eum monstrato capite Gorgonis convertit in lapidem. Expositio:

Protheus mutatus in lapidem a Perseo visa Gorgone est tirannus a virtuoso devictus. Protheus enim dicitur quasi procul a theos, id est procul a deo. Quibus nempe tirannus terrore virtutis mutatur in lapidem, id est in impotentem, nec audet presente virtuoso suam tirannidem exercere.

Polidectus fuit rector Seryphi, id est insule illius que fuit una de errabundis insulis quo nutriebantur rei in exilium. Polidectus rector Seryphi insule exercens inexorabile odium contra Perseum, mutatus est in lapidem; detrectabat enim factis eius. Expositio:

Polidectus interpretatur plura continens; per Polidectum intelligitur pluralitas vitiorum que Gorgone visa mutatur in lapidem, id est viso terrore obstupescit, sicut et singula vitia et singuli tyranni; 'oraque regis Ore Meduseo silicem sine sanguine fecit' [5.248-9], id est per pecuniam quam abstulit a Medusa regem Polidectum devicit.

CAPITULUM II.

10-14 Solinus 7.22-3.

||66v| Post hec Pallas, digrediens a fratre suo Perseo, venit Thebas ad montem Eliconem ubi sorores Musas alloquitur, dicens: '"Fama novi fontis nostras pervenit ad aures, Dura Medusei quem prepetis ungula rupit"' [5.256-7], id est equi alati de sanguine Meduse procreati. '"Is michi causa vie; volui mirabile factum Cernere. Vidi ipsum materno sanguine nasci"' [5.258-9]. Respondit una de Musis, Urania: Vera, dea, '"fama est, et Pegasus huius origo est Fontis," et ad latices deducit Pallada sacros' Urania. 'Que mirata diu factas pedis ictibus undas. . . . Felices vocat pariter studiique locique Meonidas' [5.262-4, 267-8], id est Musas. Elicon locus est apud Tebas ubi sunt fontes Aganippe et Ypocrine quos Cadmus literarum primus repertor quoniam equestri exploratione deprehendisset, licentia poetarum utrumque disseminabat, et quod reperti sunt alitis equi ungula et quod poti inspirationem fecerint literarum.

CAPITULUM III.

1-6 Cf. MV[1] 71; MV[2] 131.

Bellorophon istum equum Pegasum habuit. Qui cum receptus esset hospitio Preti amatus est a Stenobea uxore Preti, sed cum nollet ei consentire, accusavit eum quod ei vim intulisset; secundum quosdam

Pretus fuit pater Bellorophontis; Pretus igitur sine scandalo cupiens abicere Bellorophontem misit eum ad Chimeram interficiendam, sed auxilio Pegasi oblati sibi a Pallade eam devicit. Expositio:

Bellorophon, id est conquisitor sapientie, equum habuit Pegaseum, id est sapientiam, per quam vectus est ad occidenda vitia. Qui ideo pennatus dicitur quia universam mundi naturam celeri collustratione comprehendit. Qui etiam nascitur de sanguine Gorgoneo, quia aut finito terrore nascitur sapientia aut quia 'initium sapientie timor est Domini.' Bellorophon Chimeram occidit, id est fructificationem amoris. Que ideo triceps fingitur quia tres sunt partes amoris, id est incipere, perficere, penitere. Prima pars dicitur esse leo, quia sicut leo invadit audacter amator. Pectus ||67r| vero caprinum quia eiusdem animalis natura prona sit in venerem. Postrema parte draco est quia post patratam libidinem sequitur vulnus penitudinis. Expositio Papie de Chimera:

Chimera nunc est nomen navis, alias fuit monstrum, id est belua, ore leo, postremo draco, medio capra, capite vomens ignem, quam Bellorophon interfecit. Hec Typhonis et Echidne filia fuit. Chimera mons Cilicie qui locis quibusdam ut fertur leones et capreas nutriens, quibusdam ardens, quibusdam serpentibus plenus erat. Hunc Bellorophon fecit habitabilem, unde Chimeram dicitur occidisse. Alia expositio:

De sanguine Gorgonis natus est Pegasus equus alatus, id est de terroris oppressione facta a Perseo, id est per virtutem, nata est bona fama; que dicitur equus quia velociter currit, et alas habere quia non solum videtur currere, sed volare. Pegasus vero dicitur fontem creasse sacratum Musis, quia quicumque vacat Musis et studio pro fama hoc facit, aut ut ipse famam exinde habeat, aut <ut> illi quibus tractat.

7-8 MV^3 14.4.
8-12 Cf. MV^3 14.4.
11 Psalmus 110.10; Eccli. 1.16.
12 MV^3 14.4.
13-17 MV^3 14.5.
18-23 Papias, s.v. 'Chimera'; Serv. *A* 6.288.
25-30 Arn. 5.9.

7 conquisitor] *MV^3 et Fulg.* [*3.1:*] consiliator
9-10 collustratione comprehendit] *MV^3*: cogitatione pervolet
12 fructificationem] *MV^3*: fluctuationem
14 penitere] *MV^3*: finire
16 patratam] *MV^3*: peractionem
20 Echidne] Hecdrie
30 ut^2 *add.*

CAPITULUM IV.

Cum Pallas inter Musas converteretur et locum earum laudaret et studium, narraverunt ei de crudelitate et tirannide Pirinei regis Focensium. Hic videns quadam vice Memnonides nymphas per regnum suum transire ad templa Parnasia visitanda, id est Apollinis in monte Parnaso, cum esset tempus pluviosum, rogavit eas sub pretextu tempestatis et pluvie intrarent in domum suam. Que nichil adversi verentes intraverunt edes eius, ut autem 'Desierant ymbres, victoque aquilonibus austro Fusca repurgato fugiebant nubila celo' [5.285-6]. Nymphe paraverunt abire, sed Pirineus domus suas claudit inferre parans vim virginibus. At ille sumptis alis effugerunt. Pirineus stans in arce summa ita infatuatus est ut crederet se posse volare post eas. '"Quaque via est vobis, erit et michi" dixit "eadem!" Seque iacit vecors e summo culmine turris Et cadit in vultus discussisque ossibus oris Tundit humum moriens scelerato sanguine tinctam' [5.290-3]. Expositio:

13 Tendit

||67v| Pirineus versus est in ruinam quia Musas voluit oppressisse. Per Pirineum accipe quemlibet novum magistrum in novitate ferventem sui magisterii, quod ex ipso nomine perpendi potest. Nam Pirineus dictus est a pir quod est ignis, et neos quod est novum. Pirineus ergo, id est novus ardens, vim volens Musis inferre, id est de scientia nimis presumens est cum parum sciat, et ideo cum examinari deberet vertitur in ruinam quia caret pennis scientie vel Musarum.

CAPITULUM V.

Cum Musa loquebatur cum Pallade, supervenere pice que sua fata querentes institerant ramis, miranti Palladi Musa. Narravit quod hee nuper fuere virgines et venerunt ad decertandum contra Musas. Et quia fuerunt victe verse sunt in picas, unde Ovidius: 'Auxerunt volucrum victe certamine turbam' [5.301]. Avippe mater fuit novem sororum. Peonis senior traxit sorores ad disputandum cum Musis, 'et tali committit prelia voce: "Desinite indoctum vana dulcedine vulgus Fallere; nobiscum"' [5.307-9] certate. Nam totidem minuere sumus. Si nos vicerimus cedite '"Fonte Meduseo et Hyantea Aganippe"' [5.312]. Aganippe vallis est Musarum sive fons; Hias virgo fuit que incoluit ipsum fontem. Et addidit: vel nos, si victe fuerimus, cedemus silvis; '"dirimant certamina nymphe,"' [5.314], id est sint iudices inter nos.

Tunc prior 'Bella canit superum falsoque in honore gigantas Ponit et extenuat magnorum facta deorum' [5.319-20], dicens Typhoeum, emissum de yma sede terre, 'Celitibus fecisse metum cunctosque dedisse Terga fuge donec fessos Egiptia tellus Ceperit. . . . Huc quoque terrigenam venisse Tiphoea narrat Et se mentitis superos celasse figuris' [5.322-6]; pre timore Typhoei ibi Iupiter dicitur mutatus in arietem, Phebus in corvum, Bachus in capram, Diana in cervam, Iuno in vaccam, Venus in piscem, Mercurius in ciconiam. Expositio:

Dii fugati sunt a Typhoeo gigante qui noluit eos deos credere, et in Egiptum ubi diversis latuere figuris. Quod ideo fingitur quia Egiptii potius ydolatre fuerunt quam alie nationes, unde diversas diversorum deorum habebant statuas ||68r| et deos suos in figuris animalium adorabant.

Hec superstitio apud Egiptios eo tempore invaluit quando Moyses transtulit Hebreos per mare rubrum Pharaone submerso. Tunc unusquisque Egiptiorum sibi deum peculiarem elegit et eum coluit in specie animalis. Iupiter dicitur mutatus in arietem quia ibi in tali specie apparuit Dyonisio sive Bacho sitienti, et eum refocillavit cum exercitu sitibundo. Qui apud Libicos dicitur Hamon, id est arenosus, et adhuc ibi colitur in specie arietis recurva cornua gerentis. Phebus in corvum que avis multis de causis Phebo est deputata. Bachus in capram que ei sacrificatur per contrarium. Diana in cervam quia dea est venationis. Iuno in vaccam quia potestatem habuit super Yo que mutata fuit in

15-21 Arn. 5.6.
18-31 pre. . . cf. Arn. 5.7.
31-32 Cf. MV3 3.9.
32-42 Cf. Arn. 5.7.

3 deceptandum
35 super] sub

vaccam per Iunonem. Polluerunt enim Egiptii concedere Iunoni formam speciosiorem quam Yo habuit quam colebant. Nam Yo in Egipto specialiter colebatur. Venus in piscem quia de mari nata magis habuit domesticos quam cetera animalia, vel quia pisces coeundo per Venerem pre ceteris animantibus innumerabiles faciunt fetus. Mercurius in ciconiam, que est avis concordie, et ipse est interpres superorum et inferorum deorum, vel deorum et hominum.

CAPITULUM VI.

Hiis expeditis Calliope una de Musis contra Pieriam sicut incipit carmen suum: 'Prima Ceres unco glebam dimovit aratro, Prima dedit fruges alimentaque mitia terris, Prima dedit leges; Cereris sunt omnia munus; Illa canenda michi est, utinam modo dicere possem Carmina digna dea! certe dea digna carmine est!' [5.341-5]. Insula Sicilie, que Trinacria alio nomine appellatur, superiecta est membris giganteis scilicet Thiphoei qui quondam ausus est sperare sedes ethereas et adhuc nititur et pugnat sepe resurgere. Sed dextra manus eius subiecta est Peloro, leva Pachinno, crura premuntur Lilibeo, 'Degravat Ethna caput, sub qua resupinus arenas Eiectat flammamque fero vomit ore Typhoeus; Sepe remoliri luctatur pondera terre ||68v| Oppidaque et magnos devolvere corpore montes; Inde tremit tellus' [5.352-6]. Quam cladem olim Pluto rex inferorum metuens exiit curru vectus equorum nigrorum exploraturus fundamenta terre Sicilie, ne forte per terre motum a Typhoeo commotum fundamenta uspiam defecissent; sed cum omnia secura conspexisset, vidit fortuito Proserpinam filiam Cereris sub Ethna monte flores colligentem, in cuius amorem exardescens per sagittam immissam in cor eius per Cupidinem filium Veneris eam rapuit, imposuit currui suo nigro.

Iupiter oppressit Ethnam matrem Palicorum. Quam cum Iuno insequeretur, que cunctas pelices habuit semper odio, illa imploravit auxilium Terre, et intra sinum eius recepta peperit gemellos non dum tamen maturo partu; hos tamdiu fovet in gremio quamdiu lex uteri postulavit, unde et Palici dicti sunt, id est <bis> generati. Hos autem immites esse et humano gaudere sanguine narrant historie, unde Virgilius: 'Implacabilis ara Palici.' Hos pro sevitia nimia Iuno detrusit vivos ad inferos et ad hoc vorago in ipsa tellure rupta est, id est in ipsa monte Ethna. De hiis Ovidius de raptu loquens Proserpine ita dicit: 'Raptor agit currus' [5.402] et cetera. Et post pauca, 'Perque lacus altos et olentia sulphure ferur Stagna Palicorum rupta ferventia terra' [5.405-6]. Sed cum aqua Ciane sibi resisteret et ipsam tridente percussit et eam divisam pertransivit et secum in infernum perduxit et reginam fecit inferorum, quam sibi coniugio copulavit. Nympha vero Ciane rapi videns Proserpinam, dolens iura sui fontis violata, defluxit in aquam sui nominis lacrimando. Hec dicuntur Proserpine contigisse quia non

20-25 . . .historie, MV^2 45
25 Virg. *A* 9.585.
31-33 PB 5.4.
33-35 Arn. 5.9.
35-39 PB 5.7.

3 mitia] initia
12 Inde] Indit
24 bis *add.*

obedivit matri sue Cereri que eam in domo concluserat minutissima sub monte Ethna et lanificio vacare iusserat. Sed ipsa quadam die secuta deam Venerem ad colligendum flores exierat, qua matris vetitum, quam Pluto ut vidit rapuit et in domo suo defloravit. Expositio:

Ceres dicitur quasi creres; ipsa est terra a creandis frugibus, ita dicta quam pagani multis nominibus ||69r| appellaverunt. Nam eam Opem dixerunt, quod ope terra fiat melior. Dixerunt eam et Proserpinam, Frugem, Vestam, eo quod fruges de terra proserpere faciat et varia vestita sit rebus. Eundem ignem dicunt quia eundem habet velut ex ethere. Et ideo virginem eam putant quia ignis inviolabile sit elementum, nichilque ex eo nasci possit quia cuncta consumit. Ceres ergo dea a paganis dicitur quia usum frugibus dicitur invenisse. Ideoque accipitur pro frumento sicut Bachus pro vino, ut testatur Terentius dicens: 'Quod sine Cerere et Bacho friget Venus' et cetera. Ceres igitur ipsa est terra, cuius filia Proserpina in luna dicitur quia ceteris planetis inferior propior est terra, unde etiam Proserpina dicitur a pro et serpois quia prope terram serpit. Et ideo fingitur esse rapta ad inferos quia circulum habet inferiorem ceteris et aliquando non videtur.

Per Proserpinam vis herbarum et omnium seminum que de terra surgunt designatur, unde et Proserpina dicitur a proserpendo et multum crescendo. Terra vero vocatur Hecate, quod grece centum dicitur, per quod innuitur quod vis terre centuplicatum restituit quod accepit. Ideoque a sacerdotibus antiquissimis centisima pars frugum per annos singulos immolabatur, unde etiam silvarum et venatorum dicitur dea quia silvas vis terre de terra producit et venatio silvis nutritur et pascuis.

Cyane nympha Proserpinam rapi videns, dolens iura sui fontis violari, defluxit in aquam sui nominis lacrimando. Revera quedam aqua est, ut ait Plinius de Naturali Historia, cuius natura est in cremento lune augmentatur et in detrimento minuitur. Rapta igitur luna dolet se minui quia tunc iocunde dicuntur aque existere cum magne sunt et profunde. Sic autem dicitur per methaphoram, sicut montes exultent, prata rident, flumina gaudent.

CAPITULUM VII.

Ceres querens filiam suam ab ortu solis usque ad occasum et a fine mundi usque ad finem, ferens in manibus duas fasces succensas ab Ethna ||69v| quas per tenebras deportaret, nimio labore fessa sitivit, cum forte videt casam tectam stramine. Ad quam perveniens parvas pulsavit fores. At inde statim procedit anus quedam que petenti Cerere dedit aquam. Sed puer Mesies, id est illius anis, derisit deam et eam vocavit avidam. Cui Ceres offensa est propter audaciam et mox mutavit eum in vermem qui stellio nuncupatur, quod est animal parvum diversis plenum maculis velut stelle, unde et nomen habet, et est simile lacerte sed minus in quantitate. Expositio:

40-45 Isid. *Etym.* 8.11.59-61, 67.
48 Ter. *Eun.* 732.
49-53 Arn. 5.8.
54-60 Cf. Remigius 1.36.4.
61-66 Arn. 5.9.

60 terre] *Remigius*: naturae

Ceres, id est terra, in estate arida querit filiam suam, id est humorem raptum ab inferis, quia potius humor in estate in superficie terre non remanens, quasi in venis terre latitat; unde terra contrahens sitim, id est ariditatem, venit ad domum Mesies, id est ad autumpnalem temperiem. Mesos enim grece, latine dicitur medium, unde et quedam vena que est in medio brachio hominis mese vocatur. Per Mesiem ergo autumpnus accipitur, qui est medius inter calorem estatis et frigus hyemis. Mesies ergo, id est autumpnus, Cereri sitienti, id est terre sitienti, quidam turbidum, id est aquam pluvie turbidam, confert ad potandum, quia tunc terra humectatur. Sed illud est turbidum, id est humor, ille non adeo bonus est ad concipiendum sicut humor veris quando omnia incipiunt creari. Creantur tamen per humorem autumpnalem quidam fructus ex pullulatione, sed quasi abortivi non multum crescunt et parum durant. Qui fructus filii Mesies et autumpni sunt, sed quia parvi sunt et quasi degeneratio videntur deridere terram. Est enim quasi ridiculum quod terra proferat talem fructum, unde a terra mutatur in vermem, id est similis est vermi qui latet in hyeme, quia post autumpnum non durat fructus ille ut fructus vernalis, sed in vere emittuntur fructus sicut vermes etiam tunc exeunt. Inde etiam dicuntur vermes quasi vernes, quia in vere exeunt.

11-30 Arn. 5.10.

27 in hyeme] thyeme

CAPITULUM VIII.

Ceres post hec per varias terras filiam quesitura processit, ut dicit Ovidius: 'Quas dea per terras ||70r| et quas erraverit undas Dicere longa mora est; querenti defuit orbis; . . . Nescit adhuc ubi sit; terras tamen increpat omnes Ingratasque vocat nec frugum munere dignas' [5.462-3, 474-5], et precipue Trinacriam, id est Siciliam, in qua vestigia dampni sui primo repperit. Fregit ibi igitur vertentia glebas aratra et colonos ruricolasque boves occidit pestilentia, 'arvaque iussit Fallere depositum' [5.479-80]. Igitur 'primis segetes moriuntur in herbis, Et modo sol nimius, nimius modo corripit ymber; Sideraque ventique nocent, avideque volucres Semina iacta legunt; lolium tribulique fatigant Triticeas messes' [5.482-6]. Tunc Alpheas fluvius Elidis civitatis extulit caput ab undis et oravit Cererem ne sic irasceretur terre que nil demeruit, narrans quomodo dum sub terra cucurrit vidit rapi Proserpinam a Plutone, et quod facta sit inferni regina. Expositio:

De sterilitate terre et peste ruricolarum historicum est; de Arethusa nympha quam amavit Alpheus deus cuiusdam fluvii, hec est interpretatio: Est nempe aqua Arethusa que per meatus subterraneos transiens apud Ortigiam prius emergit; quam Alpheus amasse dicitur quia revera cadit in aquas eius. Arethusa vocatur Alpheas quia eam amavit Alpheus, ut prefertur. Igitur Arethusa fons est Sicilie in quo, veniens subter mare, Alpheus miscetur ab Elide.

17-19 Arn. 5.11.

9 Sideraque] Sidera quis

12 ornavit

15 *post* historicum *del.* et

CAPITULUM IX.

Cum Ceres raptam a Plutone Proserpinam diu quesisset et eam apud inferos esse tandem comperisset, pro hac re Iovis auxilium imploravit. Ille respondit posse eam reverti si apud inferos nil gustasset. Illa autem iam Punici mali grana septem in campis Elisiis gustaverat. Quam rem Aschalaphus Stigis filius prodidit, unde Proserpina ad superos non potuit remeare, quia sic Parcarum lege cautum fuit. Ob quam causam regina Erebi Aschalaphum Flegetontide limpha respersit et eum mutavit in bubonem. 'Fedaque fit volucris, venturi nuntia luctus, Ignavus bubo, dirum mortalibus omen' [5.549-50]. Sane postea Ceres impetravit a Iove ut Proserpina ||70v| sex esset cum matre mensibus et sex cum marito. Expositio particularis:

Quod ideo fingitur quia Proserpina ipsa est que et luna, que toto anno sex mensibus crescit et sex deficit, scilicet per menses singulos quindenis diebus, ut crescens apud superos, decrescens apud inferos esse videatur; unde Virgilius: 'Nec repetita sequi curet Proserpina matrem'; et Ovidius: 'Nunc dea, regnorum numen commune duorum, Cum matre est totidem, totidem cum coniuge menses' [5.566-7]. Expositio:

Aschalaphus quia testatus est Proserpinam gustasse de fructu infernali, reditum est ei ademit, unde in bubonem mutatus fuit. Revera Aschalaphus philosophus magnus fuit qui de computo lune tractans eam infimam esse perhibuit, unde fingitur de fructu infernali eam gustasse dixisse et docuisse, unde fingitur mutatus in bubonem esse que est avis noctis, quia de nocturnis cursibus, id est de luna que preest nocti, tractavit.

1-8, 9-11, 12-15 MV[2] 100.
15 Virg. G 1.39.
18-24 Arn. 5.12.
13 scilicet] si licet

CAPITULUM X.

Cum Sirenes puelle Proserpine ipsam raptam vidissent quesiverunt ipsam per omnia loca terrarum. Quam cum non invenissent, optaverunt ut inter fluctus et in aere datis sibi pennis possent querere, unde Ovidius: 'Posse super fluctus alarum insistere remis Optastis' [5.558-9]. Quod dii eis facillime concesserunt. Quibus datis facta sunt monstra marina. Que, quia dum erant virgines dulcissime cantabant, voluerunt dii quod virgineas facies detinerent et sic in mari dulciter resonarent, ita quod audientes obstupefacerent et sopirent. Ista fabula fuit inventa ad ostendendum naturam Syrenarum. Expositio:

Sirenes filie Acheloy et Calliope mutata fuerunt in monstra marina. Revera Sirenes fuerunt puelle bene cantantes, unde finguntur filie Acheloy, id est cuiusdam aque qui deus esse putabatur; bona enim vocis sonoritas sine humore haberi non potest, sed quia non tantum bona vox valet sine artificio canendi, ideo dicitur Calliope mater earum esse que una est de Musis. Muse enim, id est consonantie, dicte sunt a moys quod est aqua; Syrenes igitur vocis ||71r| dulcedine mulcentes homines eos alliciebant, unde etiam sibi nomen acceperunt a syren

1-3, 4-9 PB 5.10.
10-18 . . .attrahere, Arn. 5.13.

quod est attractio. Inde finguntur naves attrahere. Quamvis a multis veraciter affirmetur talia monstra in mari fore, et a nonnullis quandoque visa, quandoque vero capta.

Phisiologus dicit Syrenas esse animalia mortifera in mari. Que a capite usque ad umbilicum figuram hominis habent. Extremas vero partes usque ad pedes volatiles, et dulcissimum melodie carmen cantant, ita quod per suavitatem vocis auditus hominum a longe navigantium ad se trahant et gravi sompno sopitos dilanient. Audisse autem istas Ulixes prohibetur. Sed quia vir prudens erat, obturavit aures suas et reflexit cursum ab eis. Unam istarum Alexander Magnus cepisse fertur, ut habetur in historia sua. Poete autem tres simul in uno loco Sirenas fuisse fingunt, ex parte virgines, ex parte volucres. Quarum una voce, altera tibiis, tertia lira canebat, sed secundum veritatem meretrices fuerunt que transeuntes ad egestatem deducebant. Alas autem habuisse finguntur et ungulas, quia amor volat et vulnerat. In fluctibus commorantur quia fluctus Venerem creaverunt.

21-25, 28-33 Papias, s.v. 'Sirenas.'

CAPITULUM XI.

Ceres recepta filia sua rediit per fontem Arethusam et querit a fonte que causa fuerit fuge sue et cur sit fons sacer. Cui Arethusa respondit: Nympha fui de patria Pisana, pulcherima inter nymphas Achaidum. Que dum in Alpheo fluvio me balniarem et vestes in salicibus suspendissem, a remotis repente audivi deum fluminis se commoventem qui me rapere affectavit, et ideo territa ad alteram ripe partem fugi nuda; ille me videns nudam ex hoc amore maiori succenditur et me fugientem per montes, per silvas persequitur, donec fatigavam, Dianam, cuius fui armigera, rogavi de adiutorie. Que me ne nuda viderer nube obtexit. Ego vero in aqua sudore defluxi, 'et citius, quam nunc tibi facta renarro, In latices mutor' [5.635-6]. Alpheus vero in aquam me videns mutatam posito viri, quod sumpserat, facie vertitur in aquas proprias ut se michi misceat, et ||71 v| uniat fortius. Sed Diana rumpit humum et ego ibi mersa cecis cavernis curro ad Ortigiam, que me prima superas eduxit sub auras. Expositio:

Arethusa est fons vel fluvius qui de Achaia in Ortigiam insulam sub mari fluit et inde in Siciliam per equora se deflectit. Ista fabula fuit inventa ad ostendendum naturam fontis Arethuse qui subtus maris fluctus fluit in Siciliam. De hac habetur supra.

1-19 Cf. PB 5.11.
19 Cf. supra, 5.8.

1 fonte] monte
12 quod] quam

CAPITULUM XII.

Ceres dea segetum irata pro raptu filie sue Proserpine per totum mundum famem fecerat et fruges subtraxerat. Sed inventa filia sua placata, misit militem suum Triptholomum qui semina distribueret toto mundo; sed dum ille per mundum differt semina domum Linci regis intrat. Cui cum causam adventus sui narrasset et patriam et nomen

1-10 Cf. PB 5.12.

suum, et quod nec pede nec puppe venerit ad donandum hominibus semina mitia, invidit Lincus, cupiens ipsemet auctor putari tanti muneris, et sompno gravatum Triptolomum aggreditur ferro, sed conantem figere pectus Ceres convertit <eum> in lincam feram bestiam, et rursus iussit Triptolomeum non deferre semina ad alias regiones. Expositio:

Triptolomeus filius Celei fuit; hunc fingunt pagani quod iubente Cerere ab alitibus sit deportatus et indigentibus terris frumenta contulerit. De hiis certum est quod docuerit Athenienses terras serere et doctrina sua tam velociter spargebatur in terras exteras et longinquas quod volasse fingitur a poetis. Sed Lincus rex Libie dicitur eum voluisse perimere, quia Libia tam calida est quod ibi fruges provenire non possunt, unde terra illa huiusmodi feris est feracissima et raro colitur habitator. Et ideo fingitur Triptolomus ibi fuisse in mortis articulo quia nec cultores agrorum nec semina ibi proficiunt vinee quam segetes. Ideo Lincus potius mutatus in lincam quia linca bibulum est animal.

15-20 Cf. Arn. 5.14.

9 eum *add.*

CAPITULUM XIII.

Calliope cum finisset istas fabulas, nymphe dedere iudicium Musas vicisse Pierides. Sed cum Pierides victe cumularent convicia Muse mutaverunt eas in picas, unde Ovidius: 'Aere pendebant, nemorum convicia, pice. Nunc ||72r| quoque in alitibus facundia prisca remansit Raucaque garrulitas studiumque immane loquendi' [5.676-8]. Expositio:

Pierides novem filie Pieri victe sunt in disputando contra Musas et mutate sunt in picas. Per novem Musas novem habemus consonantias. Cum quibus novem filie Pieri, id est novem dissonantie, ut ita dicam, disputarunt. Quelibet nempe consonantia dissonantiam habet sibi proximam et collateralem. Sed devicte a Musis, id est cognite minus valere, mutari finguntur in picas propter garritum picarum inutilem ad quarum imitationem garriunt discordantes. Pice revera inter aves ceteras que sunt in nemore magis sunt garrule, et aliis garriendo videntur conviciari.

7-13 Arn. 5.15.

Explicit Liber Quintus

LIBER VI

Sextus liber habet octo fabulas principales. Prima est de Pallade et Aragne et ut Pallas se vertit in anum. In hac fabula tanguntur quinque fabule secundarie. De lite inter Palladem et Neptunum pro nomine Athenarum in hoc verbo: 'Pingit et antiquam de terre nomine litem' [6.71]. Et in hoc versu: 'Stare deum pelagi' [6.75]. Et de Rodope et Hemo versis in montes ab hoc loco: 'Treiciam Rodopen' [6.87]. Et de Pigmea versa in gruem in hoc loco: 'Altera Pigmee' [6.90]. Et de Antigone filia Priami, que dicitur hic filia Laomedontis quia avus eius erat, ab hoc loco: 'Pinxit et Antigonen' [6.93]. Et de Cynara et filiabus eius versis in gradus templi ab hoc versu: 'Qui superest solus' [6.98].

Secunda fabula de Aragne et eius operis subtilitate incipit ab hoc versu: 'Meonis elusam' [6.103]; finis huius fabule est mutatio Aragnes in araneam que incipit ab hoc versu: 'Ter quater Ydmonie' [6.133]. Hec fabula continet sedecim fabulas secundarias que successive narrantur.

Tertia fabula habet Niobem versam in lapidem et quatuordecim liberos occisos pro matris superbia que incipit ab hoc versu: 'Ecce venit comitum Niobe' [6.165].

Quarta fabula habet impregnationem Latone et partum aramque Latone que sic incipit: 'E quibus unus ait' [6.317]. In hac fabula tangitur quomodo rustici versi sunt in ranas ab hoc loco: 'Finibus in Licie longo dea fessa labore' [6.340].

Quinta fabula de Marsia et Apolline; ut Marsias excoriatus ||72v| est, et ex post versus in fluvium sui nominis, sic incipit: 'Exitium Satiri' [6.383].

Sexta fabula tangit quomodo Pelops flevit infortunia Nyobes et quomodo pater eius Tantalus eum occidit et diis dedit epulandum, sed tamen reconiunxerunt membra sua, addentes ei humerum eburneum, et incipit ab hoc verbo: 'Tamen hanc dicitur unus Flesse Pelops' [6.403-4].

Septima fabula de Tereo et Progne, Yti et Philomena mutatis in aves, que est tam historica quam ficticia. Hec fabula introducitur ad modum cronice videlicet quomodo Tereus rex Tracie tulit auxilium regi Athenarum contra plures reges eum obsidentes et incipit ab hoc loco: 'Finitimi proceres' [6.412]. Transformatio personarum incipit ab hoc loco: 'Corpora Cecropidum pennis pendere putares' [6.667].

Octava fabula capit de Borea rapiente Orithiam filiam Erictei et generante Zetum et Kalaim iuvenes pennatos. Principium huius fabule est in hoc loco: 'Sceptra loci rerumque capit' [6.677]. De iuvenibus pennatis hic: 'Et genitrix facta est' [6.712].

38 capit] rapit

CAPITULUM I.

Cum Pallas audisset carmina Musarum laudavit eas et in laudem propriam subiunxit fabulam de Aragne Meonia.

Aragnes filia Colophonii Idmon, id est Idmon de Colophonia civitate, que 'nec loco nec origine gentis Clara' [6.7-8], sed tamen arte lanifica fuit precipua, de arte sua superbivit in tantum quod Palladem manifeste contempsit et se offerret audacter ad certandum cum Pallade in ipsa arte. '"Certet" ait "mecum; nichil est quod victa recusem"' [6.25]. Pallas ergo se simulavit anum et velut infirmos baculo sustinet artus. Et ait Aragni: '"Cede dee veniamque tuis, temeraria, dictis Supplice voce roga; veniam dabit illa roganti"' [6.32-3]. Cui respondit Aragnes: '"Mentis inops longaque venis confecta senecta Et nimium vexisse diu nocet; audiat istas, Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces; Consilii satis est in me michi"' [6.37-40], et addidit: '"Cur non ipsa venit? cur hec certamina vitat?" Tunc dea ait: "Venit!" formamque removit anilem' [6.42-3]. Sed tamen Aragnes in preterita cum dea disputat et audet opus aggredi ad contemptum dee. 'Haut mora, consistunt diversis ||73r| partibus ambe' [6.53] et utraque festinat opus privus producere ad effectum.

Pallas pingit texendo telam suam in summitate Martis scopulum, id est 'et antiquam de terre nomine litem' [6.71], id est contentionem factam inter eam et Neptunum de nomine imponendo civitati Athenarum. Cuius historia famosa est. Pinxit etiam 'Stare deum pelagi longoque ferire tridente Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi Exiluisse ferum, quo pignore vindicet urbem' [6.75-7], id est depinxit quomodo Neptunus percussit terram tridente et exivit equus, ob quam rem vindicavit dare nomen civitati. At Pallas semetipsam pingit: 'At sibi dat clipeum, dat acute cuspidis hastam, Dat galeam capiti, defenditur egide pectus; Percussamque sua simulat de cuspide terram Edere cum baccis fetum candentis olive' [6.78-81]; edere, id est emittere; cum baccis id est cum fructu; fetum, id est arborem olive candentis. Quod donum fuit melius mortalibus quam equus armatus. Et ideo Minerva ius habuit iuxta pactum imponendi nomen urbi condite. Quam vocavit Athene, id est immortalem, quia et Minerva Athis dicitur, id est immortalis. Et est hec civitas in Achaia. Pallas insuper depingit quod 'Treiciam Rodopen habet angulus unus et Hemum, Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam, Nomina summorum sibi qui tribuere deorum' [6.87-9]. Rodope fuit regina Tracie et Hemus rex Tracie qui se pretulerunt Iovi et Iunoni, quapropter mutati sunt in montes. Ita depinxit quod 'Altera Pigmee fatum miserabile matris Pars habet; hanc Iuno victam certamine iussit Esse gruem, populisque suis indicere bellum' [6.90-2]. Pigmea fuit regina Pigmeorum. Quia que pretulit se Iunoni mutata est in gruem, et quolibet anno pugnat contra Pigmeos. Item Pallas 'Pinxit et Antigonen, ausam contendere quondam Cum magni

1-7 Cf. PB 6.1.

12 nocet] vocet
30 cadentis

consorte Iovis, quam regia Iuno In volucrem vertit' [6.93-5]. Antigone filia fuit Laomedontis regis Troie. Que quia voluit contendere de pulcritudine cum Iunone versa est in ciconiam. Audacior nempe fuerat ad contempnendum Iunonem quia Iupiter cum ea concubuerat. Pallas preterea ||73v| depinxit casum regis Cinare, 'Utque gradus templi, natarum membra suarum, Amplectens saxoque iacens lacrimare videtur' [6.99-100]. Cinara fuit quidam rex cuius filie mutate sunt in gradus templi quia impediebant sacra Iovis. Conveniens nymphe ad templum dissuadendo a cultu deorum retrahebant et ideo mutate sunt in gradus templi. Pater earum, dum gradus amplectitur et deflet filiarum infortunium, dicitur mutatus in lapidem. Pallas fine tele sue circumdat oleis, id est olivis arboribus.

CAPITULUM II.

Aragne orditur suam telam ut Iupiter Europam decepit ymagine tauri. Iupiter rapuit Europam vectus nave cuius prora taurum depictum habuit. Item depinxit quomodo Iupiter 'Fecit et Asterien aquila luctante teneri' [6.108], id est qualiter rapuit Asterien in specie aquile. Item pinxit quomodo Iupiter 'Fecit olorinis Ledam recubare sub alis' [6.109]. Iupiter in specie cigni concubuit cum Leda et ex ea genuit duo ova. Ex uno processit Pollux et ex alio Castor et Helena. 'Addidit ut Satiri celatus ymagine pulcram Iupiter implerit gemino Nicteida fetu' [6.110-1], id est pinxit quomodo Iupiter implerit in specie Satiri Nicteida, id est Nictei filiam Antiopam gemino fetu, id est genuit Zetum et Amphionem. Quod comperiens Licus vir eius eam respuit et Dircen superduxit. Que metuens ne Licus ad Antiopam quandoque recurreret fecit eam incarcerari. Ex post Zetus et Amphion in ultionem sue matris Dircen tauris indomitis alligaverunt. Que ab illis distracta ad quandam aquam ibi in fontem sui nominis conversa est. Item depinxit quomodo Iupiter 'Amphitrion fuerat cum te, Tyrintia, cepit' [6.112], id est quomodo concubuit cum Alcmena uxore Amphitrionis in specie viri sui et genuit ex ea Tyrintium, id est Herculem. Item pinxit qualiter Iupiter 'Aureus ut Danen, ut Asopida luserit ignis' [6.113], id est quomodo Iupiter in specie auri concubuit cum Dane filia Acrisii et ex ea genuit Perseum. Et quomodo in ignis specie oppressit Asopida, id est Eginam filiam Asopi, et ex ea genuit Eacum et Radamantum, iudices infernales. Item depinxit qualiter Iupiter decepit 'Memnosinen pastor, varius ||74r| Deoyda serpens' [6.114], id est quomodo decepit Memnosinen filiam cuiusdam pastoris in specie patris sui. Deotis nempe cum spatiaretur in prato cum sociis suis advenit Iupiter in serpentis specie et socias terruit et fecit fugere, et sic eam corrupit. Item depinxit quomodo Neptunus in specie tauri corrupit filiam Eoli regis, unde Ovidius: 'Te quoque mutatum torvo, Neptune, iuvenco Virgine in Eolia posuit; tu visus Enypheus Gignis et Aloidas, aries Bisalpida fallis'

22 Iupiter Rhadamanthum genuit ex Europa

[6.115-7]. Item quomodo in specie Enyphei, qui adulteravit uxorem Aloi, Neptunus eandem oppressit, de qua genuit Oetum et Effialtem. Horum mater Epicta dicebatur. Isti duo, Oetus et Effialtes, singulis mensibus unum cubitum crescentes et singulis diebus unum palmum altitudinis animati per hoc celum rescindere moliti sunt. Sed deorum dictante concilio telis Diane et Apollinis sunt confixi. Isti duo dicti sunt Aloide ab Aloo patre suo putativo. Item quomodo Neptunus decepit Bisalpidem in specie arietis quem habebat eadem virgo domesticatum. Item depinxit quomodo Neptunus in equi specie concubuit cum Cerere et ex ea genuit Arionem equum Adrasti regis, qui fuit equus Polinicis regis in bello Thebano, unde Ovidius: 'Et te, flava comas, frugum mitissima mater, Sensit equum' [6.118-9]. Item pinxit quomodo Neptunus decepit Medusam in specie equi et genuit ex ea Pegasum, equum alatum et divinum. Unde Ovidius: 'Te sensit equum crinita colubris Mater equi volucris' [6.119-20]. Alii tamen dicunt quod de guttis cadentibus de capite Meduse natus est Pegasus, ut dicitur supra de Perseo. Item pinxit quomodo Neptunus in specie delphini concubuit cum Melanto; 'Omnibus hiis faciemque suam, faciemque locorum Reddidit' [6.121-2]. Item etiam pinxit Phebum agresti ymagine qui quondam pastorem se esse sustinuit in domo regis Admeti: 'Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis Gesserit, ut pastor Machareida luserit Yssen' [6.123-4], id est quomodo Phebus unam deceperit in specie accipitris, alteram in specie leonis, et Yssen filiam Macharei in specie pastoris. Item pinxit 'Liber ut Erigonem falsa deceperit uva' [6.125], id est quomodo Bachus violavit Erigonem filiam Ykari per ||74v| uvam. Item 'Ut Saturnus equo geminum Chirona creavit' [6.126], id est ut Saturnus in equi specie genuit de Phillire Chironem geminum, id est partim equum, partim hominem, qui fuit postea magister Achillis. Imponit igitur Aragne finem operi suo pingens ederas et flores admixto in extremitate tele, unde Ovidius: 'Ultima pars tele, tenui circumdata limbo, Nexilibus ederis flores habet intertextos' [6.127-8].

Erat ergo opus Aragnes tam subtile quod nullus subtilius poterat ymaginari. 'Non illud Pallas, non illud carpere Livor Possit opus' [6.129-30]. Doluit ergo successu Pallas et vestes pictas cum celestium criminibus, id est deorum, rupit. Et radio, id est instrumento textorio, 'ter quater Idmonie frontem percussit Aragnes. Non tulit infelix, laqueoque animosa ligavit Guttura' [6.133-5]; sed tandem Pallas miserata levavit eam pendentem, 'Atque ita: "vive quidem, pende tamen, improba" dixit. . . . Post ea discedens succis Echateidos herbe Sparsit' [6.136, 139-40], totamque mutavit in araneam. Expositio fabularum supradictarum:

Pallas ipsa est sapientia que et dea lanificii, que docet telam texi de virtutibus. Sed Palladem contempnit Aragne, id est insipientia vel arrogantia, texens telam de vitiis, unde dicitur Aragne quasi arida.

46 Cf. supra, 1.14, 5.10.
72-86 Arn. 6.1.

33 Epicta] *i.e.* Iphimedia
44 censit
50 *ante* pennas *del.* modo
66 Idmonie] Ithimoniem
73 incipientia

Aranea nempe signat humanam fragilitatem. Pallas vero anum se simulans Aragnem iuvenculam monens castigat. Quod ideo fingitur quia sunt sapientiores iuvenculis vetule. Aragne vero, id est iuvenilis etas, temeraria senectuti sapienti se preferens, cum ea contendit. Texendo ergo fit inter utramque contentio. Pallas ergo de virtutibus et potentia deorum disputat. Aragne de vitiis et deorum contemptu telam texit iocundiorem. Ad vitia nempe via iocundior extat et pronior, ad virtutes vero durior et difficilior. Sed quia tela eius arida est et sine succo sapientie, suspenditur et a vento utpote res vana ventilatur et in vermem mutatur, id est a terrena respicit quod est proprie verminum. Sed in araneam potius quam in aliam quia quemadmodum aranea ex se ipsa fila elicit, sic et insipientia seipsam seducit.

Hemus fuit rex Tracie et Rodope uxor eius. Qui quondam ab hominibus se deos vocari fecerunt per tyrannidem. Nam Hemus se vocari iussit Iovem, Rodope vero se Iunonem, unde quia ||75r| in tantam ascenderunt superbiam dicti sunt mutati fuisse in montes per altitudinem sue superbie.

Pigmea pretulit se Iunoni, unde mutata est in gruem. Pigmea regio quedam est ubi nascuntur homines minores gruibus, quippe qui sunt tantum cubitales. Qui tamen preferunt se gruibus, quod genus avium in tutela Iunonis est, et quia eas aves vilipendentes cum eis pugnant. Sed leviores a gruibus in aerem rapiuntur et asportantur, unde inventus est locus fabule. Quia Pigmea mater, id est terra illa que mater est Pigmeorum, in gruem mutata fuit propter Pigmeos a gruibus raptos, et grues occupantes victoriose Pigmeorum terram.

Antigone filia Laomedontis, quia in pulcritudine Iunoni se pretulit, mutata est in ciconiam, id est superbus a deo deprimitur, quia mutatur in avem sordidissimam que pascitur venenatis et anum suum rostro suo purgat.

Filie Cinare contemptrices deorum nec templa intrabant nec volentes intrare permittebant, unde ex ira deorum ad nichilum sunt redacte. Considerata igitur ab aliis vindicta que fuit immissa eis statim ceperunt multo devotius ad templa deorum accedere quam solebant, et per exemplum earum, id est per ipsas ad templa gradatim ascendere, unde datus est locus fabule quod in gradus templi mutate fuerunt.

Iupiter in specie tauri Europam rapuit; rex quidam Crete insule Iupiter nomine filiam Agenoris regis Tiri in nave ubi taurus depictus erat rapuit. Et propterea dicitur eam in tauri specie rapuisse.

Idem Iupiter Asteriem in specie aquile rapuit, id est bellando aquilis preeuntibus, sicut et Ganimedem. Nam ut refert <Anacreon>, Iupiter contra Tytanos, Titani filios qui frater Saturni fuerat, bellum assumeret et ob hoc sacrificium in celo fecisset, in victorie auspicium aquile sibi prosperum vidit esse volatum. Pro quo tam felici omine, et quia victoriam consecuta est, in signis bellicis aquilam sibi fecit auream

87-91 Arn. 6.2.
92-98 . . .raptos, Arn. 6.3.
100-101 . . .deprimitur, Arn. 6.4.
101-103 quia. . . cf. Nequam, *NR* 1.64.
104-109 Arn. 6.5.
110-112 Arn. 6.6.
113-120 Arn. 6.7.

92 se] de
95 quia] quasi
100 Laomedontis] *Arn.*: Priami
114 Anacreon *add.*
117 felici omine] facili omne

tuteleque sue virtutis bella dedicavit, unde et apud Romanos huiuscemodi signa tractata sunt.

Iupiter in cignum ||75v| conversus cum Leda concubuit, que peperit ovum unum unde nati sunt tres: Castor, Pollux et Helena, quod totum est misticum. Iupiter enim in modum potentie ponitur; Leda vero quasi lide, quod nos aut iniuriam aut convicium dicimus. Omnis ergo potentia iniurie mixta speciem sue generositatis immutat. Ideo ergo potius Iupiter dicitur esse in cignum mutatus, quia ferunt philosophi huius generis avem adeo conviciis plenam, ut ipsa ave clamante relique aves taceant que prope fuerint, unde et olor ab oli gloria, quod iniuriam sonat. Ergo quotienscumque nobilitas in iniuriam vergit necesse est ut conviciis misceatur. Sed ex hac re ovum concipitur. Ovum est enim testa humoris grossi turbidi et viscosi plena. In effectu enim iniuria est turpitudo et immunditia. Ex ovo hoc generantur tres: Helena, Castor et Pollux. Helena, id est seminarium scandali et discordie. Propter eam nempe Greci Troianique in bellum sunt concitati. Ex iniuria enim illata, quis discordiam non videt provenire? Sed et Pollux qui perditio, et Castor qui malum extremum interpretatur, ab eodem ovo nati sunt. Iniuriam enim quam quispiam alii intulerit, et ultionis timor qui per Pollucem et penitentia sempiterna que per Castorem designantur, sepissime consequuntur. Isti Castor et Pollux quia perditionem significant dicuntur esse signa. Quia signorum est in ortu suo et occasu designare pericula.

Ut igitur predicta breviter epilogemus, quilibet potens, ut Iupiter, a persone sue dignitate in mores belluinos degenerat cum iniuriam alicui machinatur. Ex iniurie vero illatione statim ovum, id est turpitudo generatur infamie. Et munditia et polluta in ipso conscientia oriuntur. Ex quarum rerum fomite mali quidam pullulant filii, videlicet aliorum malivolentia et detractio ut Helena, timor ultionis ut Pollux, perennis penitentia ut Castor.

Sane alia fabula habet Helenam et Pollucem de Iove natos et de uno ovo et ipsos immortales extitisse. Castorem de alio ovo natum, sed quia Tyndari filium mortalem fuisse. Cuius ||76r| mortem suo interitu fraterna pietas redemit et ei suam divinitatem Iovis concessu dimidiavit. Traditur namque quod se Pollux occidi permiserit qua parte mortalis fuerat ut Castor immortalitatem consequeretur. Sicque suam divinitatem ei partitus sit; quod ideo fingitur quia eorum stelle ita se habent quod dum oritur altera, altera adhuc lateat. Item post prioris occasum posterior aliquantisper appareat. Quod altera enim occidente, altera oriatur; et altera oriente, altera occidat, ut a quibusdam dici solet, verum esse nulla ratione potest cum stelle ipsorum contigue sint et idem signum faciunt, quod Geminos appellamus.

Item Iupiter in specie Satiri Antiopam filiam Nictei regis oppressit. Expositio: id est per Satirum prenomen est cuiusdam qui fuit internuntius inter eos.

121-141 Arn. 6.8; MV3 3.6.
142-160 MV3 3.7.
161-169 . . .ignem, Arn. 6.9.

124 lide] *MV3*: λοιδὴ
128 *Arn.*: ologoria
137 nati] sati
151 mortalem] immortalem
157 aliquantisper] aliquanti semper

Iupiter in specie Amphitrionis Alcmenam corrupit. Expositio: id est Amphitrionem maritum eius habuit pro lenone erga Alcmenam.

Item Iupiter corrupit Danem per aurum datum ad modum pluvie abundanter.

Item Iupiter Eginam filiam Asopi regis corrupit per cocum, unde fingitur se mutasse in ignem, vel quod verius estimatur succendit loca patris sui donec illa fuit oblata sibi.

Memnosinen per pastorem patris sui decepit, qui fuit lene inter eos.

Diotidem decepit per serpentem, id est per anum quandam cuius astutia serpenti fuit comparata.

Neptunus Eoli filiam, Famam nomine, in specie iumenti rapuit, quod nichil est aliud nisi quod per mare rapta fuit in navem ubi iuvencus, id est taurus, fuit depictus.

Item Neptunus, id est quidam per mare veniens, cum uxore Aloi nocte non agnitus in specie Eniphei concubuit, qui fuit adulter Aloi et amasius uxoris eius.

Item Neptunus Bisalpidem quandam virginem rapuit in navem ubi erat aries depictus.

Et Cererem oppressit, id est quandam dominam que messibus habundabat, et abduxit eam in navi habente equum depictum. Et huic expositi similis est expositio de Medusa et Melanto.

Phebus, id est sapientia, aliquando transit in agrestem, tunc scilicet cum agriculture vacat. ||67v| Transit et in accipitrem quando diligenter congregat vel rapiem vacat. Transit in leonem tunc cum irascitur. Transit in pastorem ut Machareida decipiat, quam per quendam pastorem ipse decepit.

Liber in uvam se mutavit ut Erigonem deciperet, quod nichil aliud fuit nisi quod inebriavit illam.

Saturnus in specie equi cum Phillire concubuit. Saturnus rex fuit qui, volens Phillirem rapere, in equis pugnando eam violenter abstulit.

171-174 Arn. 6.9.
175-185 Arn. 6.10.
186-190 Cf. Arn. 6.11.
191-192 Arn. 6.12.
193-194 Arn. 6.13.

CAPITULUM III.

Niobe fuit filia Tantali et uxor Amphionis regis Boetie fecunda prole, quippe que septem filios et septem filias generaverat. Hec igitur ob multitudinem opum et dignitatum et precipue ob uteri sui fecunditatem elatam, deam Latonam matrem Apollinis et Diane contempsit et eam infecundam et sterilem appellavit, et seipsam Latone pretulit et populum ab aris eius prohibuit, et sibi sacrificare coegit, dicens de seipsa: '“Sum felix (quis enim neget hoc?) felixque manebo.... Maior sum quam cui possit Fortuna nocere, Multaque ut eripiat, multo michi plura relinquet. Excessere metum mea iam bona”' [6.193, 195-7]. Latona indignata Phebum et Dianam liberos suos alloquitur et commovet ad matris iniuriam vindicandam. Phebus igitur telis suis primo patrem, id est Amphionem, postea septem filios Niobes interfecit. Diana

1-6, . . .coegit, *10-14* PB 6.12.

vero septem eius filias morti dedit. Que videns Niobe in lapidem marmoreum vertitur, qui flere iugiter comprobatur. Expositio:

Niobe regina contempnebat Latonam pro duobus eius liberis cum ipsa septem filias et septem filios genuisset, sed a filiis Latone septem filii Niobes et septem filie occisi fuerunt, et ipsa mutata fuit in lapidem. Per Niobem habemus superbiam que septem habet filios: pedem, pectus, manus, linguam, nasum, supercilium, oculum. Et septem has filias scilicet superbum pedis incessum, pectoris suppinationem, manus questum, lingue indignationem in verbis, nasi frontationem, supercilii elevationem, oculi semipatentiam. Per Latonam habemus religionem cuius filii sunt Apollo, id est sapientia, et Diana, id est castitas. Niobem vero, id est superbiam, filii Latone, id est religionis, ||77r| castitas scilicet et sapientia, humiliaverunt filios eius occidendo. Postea mater ipsa mutata fuit in lapidem, que superbia omnino deposita, sapientie vacans et castitati et ad religionem revocata, ibidem mansit firma et stabilis ad modum lapidis, deflens iugiter male commissa.

15-28 Arn. 6.14.

20 suppinatione] *Arn.*: summationem

21 questum] *Arn.*: gestum | frontationem] *Arn.*: fricationem

22 elevationem] *Arn.*: elationem | semipatentiam] *Arn.*: superbiam

25 filias

CAPITULUM IV.

Latona fuit mater Phebi et Diane, id est solis et lune, quos quia a Iove conceperat Iuno zelotipa ipsam pregnantem persequebatur. Nullaque regio ipsam audebat recipere. Tandem venit ad insulam Delon, que tunc instabilis et vagabunda per totum mare natabat. Insula igitur errans in aquis Latone, que errabat in terris, locum dedit pariendi. Insula illa nempe vocatur solis et lune quia ibi nati sunt. Et facta est insula stabilis que a principia fuerat mobilis. Et quia due sunt insule huius nominis, utriusque situm ponam. Ista nempe Delos de qua fit sermo in medio Cicladum sita est. Ciclades autem sunt insule in Egeo mari, dicte quod in ciclo, id est in orbe, sunt posite. Sunt autem numero quinquaginta tres. Quarum metropolis est Rodus; Ciclades dicte quod, licet spatiis longioribus a Delo profecte, in orbem tamen circa Delon sunt posite. Nam orbem ciclum Greci dicunt. Quidam autem sic dictas putant propter scopulos qui circa easdem sunt. Circumdantur autem pelago Mirtoo, tendentes a septentrione ubi est Tenedos, in meridiem ubi est mare Carphathium per miliaria quingenta, ab oriente ubi est prima Rodus, in occasum ubi est Citherea per miliaria ducenta. Delos igitur, que in medio Cicladum situatur, post diluvium quod Ogigi temporibus et Iacob patriarche notatur fuisse prima, ut ferunt, apparuit. Nam delon Greci manifestum dicunt. Ipsa dicitur et Ortigia. In hac insula Latona enixa est Apollinem. Hec insula iuxta Siciliam sita est. Est altera Delos iuxta Parnasum ubi dare responsa Apollo dicitur. Delos interpretetur clara. Delos dicitur etiam civitas et insula. Expositio allegorica:

Delos signat etiam homines hospitales qui vagantes recipiunt et maxime pregnantes Phebo et Diana, id est sole et luna, id est quando

1-7 PB 6.13.

8-21 Isid. *Etym.* 14.6.19-22; Solinus 11.17-18; Papias, s.v. 'Delos.'

25-28 PB 6.13.

cognoscunt eos esse ||77v| de bona consilia et de bona fama. Qui tales recipiunt cuiuscumque fuerint secte stabiles tamen efficientur in caritate.

Cum Latona Iunonis iram fugeret et Apollinem et Dianam teneret in manibus, accidit ut ultra modum sitiens de aqua cuiusdam fontis Licie bibere vellet. Sed quidam rustici, qui in littore lacus iuncos colligebant, ipsam ne biberet impediebant. Latona vero indignata rogavit Iovem quod illi rustici numquam recederent, et sic factum est. Nam Iupiter rusticos mutavit in ranas que in stagno illo semper coaxant. Expositio:

Latona, id est sapientia, non habens quia sibi vacarent cum bibere vellet, id est de huius seculi hominibus qui sunt velut aqua lacus turbida ad <se> vocare vellet, prohibita est ab agricolis qui bestias agri pro domino colunt. Qui quia noluerunt ei consentire in ranas mutavit eos, id est in fece sue miserie et insipientie eos permisit remanere.

CAPITULUM V.

Marsias quidam Satirus cum Apolline de cantu contendit fistule et se pretulit ei. Indignatus Apollo excoriavit eum et pellem sibi abstulit et undique eum cruentatum reliquit. Ita quod dii ruricole et nymphe insequebantur Marsiam flentes, eo quod cantu eius essent carituri. De sanguine autem et lacrimis prosequentium auctus est fluvius, qui ex nomine eius Marsia in Frigia nominatur, unde Ovidius: 'Marsia nomen habet, Frigie liquidissimus amnis' [6.400]. Solinus: In Frigia Marsias fuit ortus, ibique sepultus iuxta fluvium qui Marsias appellatur. Nam sacrilegi certaminis factum et audaces in deum tibias testantur non procul valles, que eventu geste rei signant, ab Apamia decem milibus passuum separata. Expositio:

Marsias disputans cum Apolline ab eo victus et vivus excoriatus in flumen sui nominis mutatus fuit. Marsias, id est insipientia, disputavit cum Apolline, id est sapientia. Sed confutata per sapientiam excoriata fuit, ita quod quisque videre poterat interiora eius, id est conceptus suos et cogitationes quam vane fuerunt. Cui alludit Ovidius ita dicens: 'Salientia viscera possis Et perlucentes numerare ||78r| in pectore fibras' [6.390-1]. Insipiens nempe non potest sibi a sapiente cavere, quin totum quod contradicit comparietur nichil valere. In fluvium dicitur esse mutatus, vel ideo quia quidam est fluvius eiusdem nominis, vel quia quamvis a sapientia rationabiliter confutata fuerit, insipientia tamen adhuc fluit et perseverat. Ruricole flentes eum sequuntur qui decepti fuerant per eum et augent fluctus eius, quia adhuc fatui stultitia delectati condolent sibi et laudant opiniones eius antiquas; per hoc dicuntur augere fluctus eius.

CAPITULUM VI.

Tantalus, cum Iovem deosque ceteros invitasset ad epulas, et vellet experiri utrum futura scirent et occulta, occidit filium suum Pelopem

29-34 PB 6.14.
36-40 Arn. 6.15.
31 bibere] libere
38 se *add.*

1-6 . . . nominatur, cf. PB 6.15.
7-11 Solinus 40.8.
12-15 . . .fuit, *18-22* Arn. 6.16.
18 Incipiens

1-8 Cf. PB 6.17.

et eis comedendum apposuit. Propter quod dii eum dampnaverunt ut in inferno inter aquas et poma perpetuo sitiret et esuriet.

Sane cunctis ab esu carnium Pelopis abstinentibus, Ceres humerum pueri Pelopis devoravit. Sed dii puero miserti membra eius collegerunt et eum vite restituerunt. Sed quia humerus defuit ei humerum eburneum aptaverunt et eius corpori inseruerunt. Expositio:

Tantalus deorum secretarius diis vocatis ad convivium, filium suum Pelopem eis apposuit. Cuius humerum Ceres prelibavit. Sed loco carnei humeri appositus est eburneus. Per Tantalum signatur avarus. Qui si ad mensam amicos recipit, tamen pro eis nichil expendere sustinet, unde fingitur potius filium suum velle interficere quam velle parum expendendo loculum vacuare. Quod Ceres sola de humanis carnibus gustasse dicitur, ideo fingitur quia Ceres est terra, que dicitur Ceres quasi creans res. Ea carnes devorat ossibus remanentibus. Quod ossa remanent carne iam defecta, dicitur carneus humerus in eburneum esse mutatus cum ebur et os sint huiusmodi coloris et apparentis. Alia expositio:

Tantalus rex Corinthiorum fuit amicus numinibus. Que cum frequenter susciperet et quodam tempore defuissent epule, filium suum Pelopem occisum diis epulandum ||78v| apposuit. Sed abstinentibus cunctis Ceres humerum eius deglutivit. Et cum eum ad superos dii per Mercurium revocare vellent, humerus ei eburneus est restitutus. Ceres, id est terra, comedisse dicitur quia corpora resolvit. Per Mercurium ideo fingitur <revocatus> quia ipse secundem quosdam deus prudentie, per quam philosophi iteratam generationem et transitionem anime deprehendunt.

Tantalus autem hac lege apud inferos dampnatus est ut in Eridano inferorum fluvio stans, nec undis presentibus nec vicinis eius pomariis perfruatur. Per hunc igitur avaritia designatur, unde et Tantalus dicitur quod interpretatur visionem volens. Avarus nempe fruendi usu ieiunus, sola rerum suarum pascitur visione. Sane Eridanum in quo stare dicitur in celo Aratus esse dicit haut longe a signo quod Cetum dicunt. Sed et in terris fluvius in Venetia scilicet, que quedam Ytalie pars est Padusque vocatur; quem quidam dicunt ad inferos tendere. Alii dicunt eum apud inferos nasci et a terris exire volunt. Que ideo finguntur quia de Apenninia parte oritur que spectat inferum mare Tyrrenum videlicet, quod ab occidente cingit Ytaliam et tendit usque ad mare superum, id est Adriaticum, quod est ab oriente.

9-18 Arn. 6.17.
20-40 MV[3] 6.21.
34 Aratus] cf. Serv. *A* 6.659.

13 velle[2]] vel
26 revocatus *add.*
40 oriente] occidente

CAPITULUM VII.

Tereus rex Tracie Prognem filiam Pandionis regis Athenarum habuit in uxorem. Que cum haberet sororem pulcherimam nomine Philomenam, rogavit maritum suum Tereum ut Athenas proficisceretur et cum Pandione patre suo ageret ut mitteret sororem suam in Traci-

1-2 PB 6.18.

4 mitteret] niteret

am, ut illa eam alloqui posset et videre. Igitur Tereus Athenas navigio veniens, Pandionem rogat ut mittat cum eo filiam suam ad consolationem uxoris sue Prognes, post modicum tempus reversuram. Ne mora Pandion consentit et filiam Tereo commitit, orans ut eam patrio tueatur amore. Spondet ille, sed tamen ficte quia amore virginis captus est. Discedit a parentibus ||79r| virgo et Tereus ipsam imponit navigio. Cumque pervenisset ad propria litora Tereus eam in stabula sua trahit et ibi eam violenter opprimit. At illa 'Intendens palmas, "O diris barbare factis, O crudelis" ait, "nec te mandata parentis Cum lacrimis movere piis. . . Nec mea virginitas, nec coniugalia iura? Omnia turbasti!"' [6.533-5, 536-7]. Cur hanc, perfide, non eripis animam? '"Atque utinam fecisses ante nephhandos Concubitus"' [6.540-1]. Tunc tyrannus ferocissimus tam ira quam timore facti perturbatus, forcipe extrahit linguam eius et gladio quo cinctus fuerat amputavit. Et post hoc facinus, quod est horribile dictu et abhominabile, 'fertur Sepe sua lacerum repetisse libidine corpus' [6.561-2]. Quibus perpetratis tyrannus 'Sustinet ad Prognem post talia facta reverti' [6.563]. Que viso Tereo mox requirit ubi sit germana sua. At ille dat fictos gemitus et narrat quod sua soror Philomena videlicet vita decesserit. Et lacrimatus est coram coniuge quasi pro morte sororis. At illa hiis auditis deripit ex suis humeris vestes auro textas, 'Induiturque atras vestes et inane sepulcrum Constituit' [6.568-9] et luget inconsolabiliter fata sororis.

Cumque Philomena iam per anni circulum in illa custodia fuisset detenta et nusquam fugere potuisset, quia et ipsa stabula clausa fuerunt altis muris lapideis, et quod proposuit nemini poterat indicare quia muta fuit, in grandi dolore versabatur. Tandem exquisito de seipsa consilio telam albam ingenio quod ut locus et res permittebant texuit; 'Purpureasque notas,' id est fila cruore tincta, 'filis intexuit albis, Indicium sceleris' [6.577-8] in eam commissi. Cumque perfecisset telam tradidit eam uni gestu et signis quibus potuit, orans ut eam ferret ad dominam. Que telam pertulit ad Prognem, nesciens quid ferret in illa. At Progne accepta tela evoluit et carmen miserabile legit in illa. Que mox velut amens effecta disquirit qualiter in maritum poterit vindicari. Aderat tunc tempus quo festa Bachi celebrabantur, unde Ovidius: 'Tempus erat quo sacra solent trieterica Bachi Sithonie celebrare ||79v| nurus' [6.587-8], id est transcenses a Sithoo fluvio Tracie.

Progne igitur nacta occasionem ex tempore nocte domum est egressa tamquam Bachanalia celebratura, ut autem se simularet vera festa Bachi colere furialia accipit arma. Vite tegit caput, sinistro lateri cervina dependent vellera, hastam gerit in humero. Et sic concita per silvas, furiis agitata doloris, venit ad regis stabula, portasque refringit, germanamque rapit et eam ornat tamquam una sit de mulieribus agentibus secum sacra Bachi. Vultumque eius abscondit frondibus ederarum et in do-

5 *ante* Tereus *del.* te

mum suam ducit. At Philomena, ut se tetigisse cognovit infandam domum Terei, exhorruit. Sed Progne nacta locum demit sacrorum insignia de vultu sororis, ut eam posset inspicere quam intime diligebat. Illa vero attollere non valebat oculos pre sororis verecundia, que sibi visa est pelex esse sororis, sed deiecto in humum vultu cum vellet iurare 'Testarique deos per vim sibi dedecus illud Illatum fuisse, pro voce manus fuit' [6.608-9]. Progne igitur exardescit in ira, nec seipsam iam capere potest pre furore, sororisque fletum redarguens, ait, Hoc, inquit, soror, non est agendum lacrimis sed ferro, vel siquid ferrum possit vincere. '"In omne nephas ego me, germana, paravi; Aut ego, cum facibus regalia tecta cremabo, Artificem mediis immittam Terea flammis Aut linguam aut oculos aut que tibi membra pudorem Abstulerant ferro rapiam aut per mille vulnera"' [6.613-7] tyrannum occidam.

Dum talia loqueretur Progne forte ad matrem veniebat Ytis filius Terei et eiusdem Prognes. At illa viso puero, '"A! quam Similis es patri!" dixit. Nec plura locuta' [6.621-2], traxit Ytim in partem domus remotiorem. 'Tendentemque manus et iam sua fata videntem, Et "Mater, mater!" clamantem,' [6.639-40] sepius ense ferit. 'Satis illi ad fata vel unum Vulnus erat' [6.642-3]. Tunc sorores corpus eius dilaniant et quasdam partes coquiunt, quasdam vero veribus igni torrent. Et cum Tereus accessisset ad prandium apposite sunt partes pueri bene toste beneque cocte coram eo. Igitur ||80r| Tereus avide 'Vescitur inque suam sua viscera congerit alvum' [6.651]. Post epulas filium suum Ytim iussit accersiri. At Progne dissimulare nequit gaudia sua crudelia, sed 'Imaque sue cupiens exsistere nuntia cladis, "Intus habes quem poscis," ait; circumspicit ille Ac ubi sit querit; querentique interum convocanti' [6.654-6], prosiluit e thalamia Philomena, sparsis ut erat crinibus a cede furiali, et caput Ytis cruentum misit in ora patris, nec umquam tempore ullo maluit loqui potuisse 'et meritis testari gaudia dictis' [6.660]. Nec mora Tereus ingenti clamore mensas repellit et nudato gladio filias Pandionis persequitur, que mox mutate sunt in volucres, quarum altera petit silvas, altera vero domos. Philomena nempe in avem mutata sui nominis silvas colit. Progne in irundinem transformata domos inhabitat, in cuius pectore non dum excessere cedis note, sed 'signata sanguine pluma est' [6.670]. Tereus vero dolore suo velox cupidine pene vertitur in upupam, cuius 'facies armata videtur,' 'cui stant in vertice criste' [6.674, 672]. Expositio:

Quod de Tereo et Progne et Philomena dicitur totum est historicum, ut testatur Orosius de ormesta mundi, libro primo, ita scribens: Tunc, inquit, temporis Terei, Prognes, et Philomene incestui parricidium adiunctum est. Atque execrabilius utroque convivium per infandos <cibos> additum est, cum propter sororis pudicitiam ereptam precisamque linguam filium parvum mater occidit, pater comedit. De mutatione personarum totum est allegoricum; Tereo persequente sorores

86 Arn. 6.18.
87-91 Orosius 1.11.3.
91-102 Arn. 6.18.

90 cibos *add.*

quia cito avolaverunt, id est fugerunt, dicte sunt converse in aves. Sed in philomenam et irundinem potius quam in alias, quia ille aves pectora rubore habent notata, quod est quasi signum cedis Ytis. Que clausa fuerat in silvis ideo fingitur conversa in philomenam, quia avis illa raro nisi in silvis et solitudine commoratur. Progne vero dicitur mutata in irundinem que domos inhabitat et urbes, sicut solebat quando fuit regina urbium. Tereus quia velociter eas insequebatur fingitur mutatus ||80v| in upupam avem potius quam in aliam, quia illa avis semper videtur irata et multotiens quasi furere, sicut Tereus quando sorores persequebatur.

CAPITULUM VIII.

Pandion audito infortunio filiarum suarum dolens cessit in fata. Ericteus filius et heres suus regni suscepit moderamen, genuitque quatuor filios et totidem filias. Quarum due, id est Procris et Orithia, speciosissime extiterunt. Procris iam nupserat Cephalo filio Eoli regis. Orithiam Boreas ab Ericteo petiit in connubium, sed ille nullatenus eam dare sibi voluit propter infortunium sororum suarum Philomene et Prognes, quia Boreas consanguineus fuerat Terei regis Tracie. Boreas indignatus de repulsa sumit pennas et volat Athenas et rapit Orithiam et abducit in Traciam, et ex ea generat gemellos, Zetum et Kalaim, qui matri similes erant in vultu, sed pennas genitoris habebant. Hii in prima iuventute cum Iasone Argonaute fuerunt, et cum eo navigaverunt et maria primo sulcaverunt quando Iason ivit pro vellere aureo adquerendo, unde Ovidius: 'Vellera cum Miniis nitido radiantia villo Per mare non notum prima petiere carina' [6.720-1]. Expositio:

Boreas dicitur pennas sumpsisse et volasse Athenas, quia tam velociter navigavit et tam bonum ventum habuit ut volatui posset eius expeditio comparari. Zetus et Kalais pennas dicuntur habuisse, id est iuventute, quia tunc velocissimi fuerunt et promptissimi in altum ascendere, et quia tunc levitas eorum et velocitas cepit accresci. Cetera sunt historialia.

Explicit Liber Sextus

17-19 Cf. Arn. 6.19.

15 Athenas, quia] Athenasque

19 ascendere] conscendere | accresci] ag^{re}sci; *Arn.:* videri maior

38 Cf. Virg. *Culex* 262-264; Ovid. *M* 7.404-424.

LIBER VII

Septimus liber habet decem fabulas principales. Prima tangit profectionem Argonautarum ad Colchos, et Phineum visu privatum pro excecatione filiorum, et Arpias ab eo fugatas, et amorem Medee et salvationem Iasonis, et incipit a primo versu libri scilicet: 'Iamque fretum' [7.1] et cetera.

Secunda fabula introducit Iasonem superantem boves eripedes et eos aratro supponentem, et draconem perimentem et dentes eius serentem, de quibus nati sunt armati milites qui ||81r| in eum fecerunt impetum, sed arte Medee terrigene pereunt per mutua vulnera fratres, et ut Iason evaserit cum Medea. Et ut Medea revivescere fecerit Hesionem et nutrices Bachi. Hec fabula incipit ab hoc loco: 'Auxilium submissa voce rogavit Promisitque thorum' [7.90-1]; de nutricibus Bachi ab hoc versu: 'Viderat ex alto tanti miracula monstri Liber' [7.294-5].

Tertia fabula introducit Medeam astute occidentem patruum Iasonis Peleum et incipit ab hoc versu: 'Neve doli' [7.297]. In hac tangitur fabula de Cerambo mutato in avem ab hoc verbo: 'Loca nota Cerambi' [7.353], et alia quindecim fabule successive. De Chepeo in hoc versu: 'Factaque de saxo longi simulacra draconis' [7.358]. De Tyoneo latrone in hoc versu: 'Ydeumque nemus quo raptum furta iuvencum' [7.359]. De Coritho in hoc versu: 'Quaque pater Corithi' [7.361]. De Mera in hoc versu: 'Quosque Mera novo latratu terruit agros' [7.362]. De Ceo et filiabus suis in hoc versu: 'Euripilique urbem, qua Cee cornua matres' [7.363]. De Thelchinnis, quos vocat Ialisios a loco suo in hoc verbo: 'Et Ialisios Thelchinnas' [7.365]. De Alchidama in hoc versu: 'Qua pater Alchidamas' [7.369]. De Cigno in hoc versu: 'Inde lacus Yries' [7.371]. De Comba in hoc versu: 'Adiacet hiis Pleuron' [7.382]. De Tereo et Progne, vel Ceice et Alcione, in hoc versu: 'Inde Calauree' [7.384]. De Menephron in hoc versu: 'Cephison procul hinc' [7.388]. De Eumelo in hoc versu: 'Eumelique domum' [7.390]. De fungis in hoc verbo: 'Hic evo veteres' [7.392]. De Peripha et Pheneo in hoc loco: 'Intrat Palladias arces' [7.398-9].

Quarta fabula habet Medeam nuptam Egeo patri Thesei et probitatem ipsius Thesei et Medee malitiam, et incipit ab hoc versu: 'Excipit hanc Egeus' [7.402].

Quinta fabula de Hercule, Theseo, et Cerbero tracto ab inferis et herbis infectis eius spumis venenosis, et introducitur in hoc versu: 'Attulerat secum Schiticis aconiton ab horis' [7.407].

Sexta fabula non est huius loci, sed Virgilii, de Admeto et eius uxore Alceste et Hercule Cerberum trahente ab inferis.

Septima fabula de Theseo salvato et sex Thesei precipuis actibus qui in eodem capitulo exprimuntur. Ista fabula incipit ab hoc versu: 'At genitor, quamquam' [7.425].

Octava fabula de Mynoe vindicante filium suum Androgeum et nephando tributo imposito ||81v| Atheniensibus, et ut Theseus occidit Minotaurum, que sic incipit; 'Bella parat Mynos' [7.456]. In hac fabula tangitur fabula de Sithone virgine que prodidit Arnen civitatem suam propter aurum et ideo versa est in monedulam, et incipit ab hoc verbo: 'Quamque impia prodidit Arnen Sithonis; accepto, quod avara poposcerat, auro Mutata est in avem, que nunc quoque diligit aurum, Nigra pedes, nigris. . . monedula pennis' [7.465-8]. In hoc loco ponuntur fabule de Mynoe, Mynotauro, Pasiphe, et Dedalo, que in Ovidio posterius enarrantur. De Mynoe, Pasiphe, et Mynotauro libro octavo ab hoc versu: 'Creverat obprobrium generis' [8.155]. De Dedalo in eodem loco ab hoc versu: 'Dedalus ingenio fabre celeberrimus artis' [8.159].

Nona fabula tamen est in Ovidio de Eaco et formicis versis in Mirmidones. In qua Mynos introducitur petens auxilium ab Eaco contra Athenienses, sed frustra, et incipit ab hoc loco: 'Enopiam Mynos petit' [7.472]. Introducitur etiam Cephalus petens auxilium contra Mynoen et propositum consecutum ab hoc verbo: 'Classis ab Enopiis' [7.490]. Deinde narratur pestilentie modus ab Eaco ab hoc versu: 'Dira lues populis' [7.523]. Deinde mutatio formicarum in homines ab hoc versu: 'Forte fuit iuxta patulis rarissima ramis Sacra Iovi quercus de semine Dodoneo' [7.622-3]. Dodona fuit silva in qua Iupiter solebat dare responsa. Dodona civitas est Epiri, iuxta quam nemus est consecratum Iovi, et habundans quercubus et glandibus.

Decima fabula de Cephalo, Prochri, et Aurora, et hasta Chephali et cane Lelapa. In hac fabula Cephalus vocatur Eolides ab Eolio et <incipit> ab loco: 'Aspicit Eolidem ignota ex arbore factum Ferre manu iaculum' [7.672-3]. De Prochri et Aurora et Cephalo ab hoc versu: '"Hoc me, nate dea (quis possit credere?), telum Flere facit"' [7.690-1]. In hac fabula introducitur de cane Cephali et apro mutatis in marmora, et incipit ab hoc versu: 'Protinus Aoniis immissa est bestia Thebis' [7.763]. Post hec continuatur fabula de morte Prochris usque ad finem libri septimi.

CAPITULUM I.

'Iamque fretum Minie Pagasea puppe secabant, Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam Phineus ||82r| visus erat, iuvenesque Aquilone creati Virgineas volucres miseri senis ore fugarant' [7.1-4]. Minie fuerunt socii Iasonis et Argonaute dicti a minio colore, quia eiusdem coloris sunt cum minio, inter quos fuere Zetus et Calais filii Aquilonis vel filii Boree. Qui dum navigarent in puppe Pagasea, id est que facta fuit in monte Pagaseo, ad vellus aureum adquirendum, suscepti sunt hospitio Phinei regis ceci. Qui ideo a diis percussus est cecitate quia Zorilam et Dorilam filios suos, propter falsam accusationem orbate noverce eorundem, excecaverat, Et ideo predictum est ei ut ipse per-

63-65 MV^{2} 227; Papias, s.v. 'Dodona.'

53 Creverat] Cernera

68 incipit *add.*

6-11 Cf. PB 7.1; MV^{3} 5.5-6.

7 Pagaseo] *Ovid.*: Pelio

deret visum suum. 'Cur fodis immeritis, Phineus, sua lumina natis? Pena reversura est in caput ista tuum.' Condempnatus est igitur cecitate. Et addite sunt ei Arpie que prandia eius stercorando fedarent et raperent. Iason igitur ab ipso receptus auxilio hospitio Zeti et Kalais filiorum Boree ipsas fugavit et miserum senem liberavit, et eas usque ad insulas Strophades persecutus est. Ibique ne ulterius persequerentur <quia> voces canum Iovis Zetus et Kalais audierunt. Propter quod redierunt et a persecutione cessaverunt, unde et a conversione insulis nomen dederunt; strophos enim grece conversio dicitur latine. Hee insule prius Plote vocabantur. Phineus autem Argonautis columbam previam dedit que iter ad Colchos insulam, ubi erat vellus aureum, preostendit. Expositio:

Phineus a phenerando dictus, in modum avaritie ponitur. Nati eius sunt divitie multo labore conquisite et solerti solicitudine velut paterna nutritione servate et adamate. Que dum in bonos usus apte expenduntur et ipse fulgore suo clarescere et possessores suos claros videntur facere. Cum vero a prava tenacitate, que ydonee dispensationis est noverca, in sinistram partem custodiende magis quam expendende reponuntur, nec ipse, quippe in thesauro recondite, apparere vel fulgere possunt, nec dominos suos largitatis gloria splendidos reddunt. Hinc esse videtur quod ex noverce delatione et filiis et patri cecitas immissa videtur. Et ideo Phineus cecus fingitur, quia omnis avarus sua non ||82v| videt, nec umquam respicit habita dum semper eget habendis. Ideo Arpie cibos eius rapiunt, quia tenacitas rapax aliquid eum de suo gustare non permittit. Quod vero eius prandia stercore fedunt, innuit fenerator vitia sordida et abhominanda. Sed ab eo Zetus et Kalais filii Boree Arpias fugant, quia calon grece bonum, zeton inquirens dicitur. Hii volatici perhibentur, quia omnis inquisitio boni spiritualis est, non carnalis. Ergo veniente bonitate omnis rapina fugatur. Arpie autem Iovis canes appellantur quia et ipse Furie esse dicuntur; unde etiam epulas dicuntur rapere, quod est proprium Furiarum. Inde etiam avari dicuntur Furias pati quia abstinent partis. Arpiarum prima est Aello, secunda Occipite, tertia Celeno. Sunt enim tantum tres Arpie. Arpia igitur rapina interpretetur; ideo virgines finguntur quia omnis rapina sterilis est et arida. Ideo plumis circumdate quia quicquid raptores invaserunt celant. Ideo volatiles quia omnis raptor post rapinam ad fugam celerrimus est. Aello igitur alienum cupiens, Occipite citius auferens, Celeno celans rapta et denigrans. In rapinis enim exercendis primum est alienum concupiscere, secundum concupita invadere, tertium invaseris celare. Hee igitur ad Phineum puniendum finguntur misse fuisse.

CAPITULUM II.

Iason Colchos profectus est, que est insula in mari Mediterraneo ubi antiquitus fuit rex Oetes filius Solis. In hac insula in quodam tem-

11-12 Ovid. *AA* 1.339-340.

12-39 . . .fugatur, cf. PB 7.1; MV³ 5.5-6.

19-20 Cf. Plin. *NH* 4.12.

39-51 MV³ 5.5.

17 quia *add.*

25 apte] *sic MV³*; *PB*: aperte

27 parva] *MV³*: prava; *PB*: paterna

29 fulgere] *sic MV³*; *PB et ms.*: fugere

35-36 innuit. . .abhominanda] *PB et MV³*: innuit feneratorum vitam, in omnibus, ut probat Horatius, sordidam. [*Cf. Raschke ad loc.: Albericum adnotantem locum Horatianum ipsum nosse atque adisse nobis persuasum est.*]

37 calon . . . zeton] *MV³*: καλὸν...ζητῶν

1-17 PB 7.2.

plo inclusum fuit vellus aureum quod inter mundi divitias maximum reputabatur. Et factum erat per incantationem quod nullus poterat illud adquirere nisi multa pericula pertransiret. Erant nempe ibi duo tauri cum pedibus ereis qui ignem naribus et ore vomebant et aerem inflammabant et cuncta que tangebant exurebant. Quos oportebat per violentiam capere et compellere iugum subire et terram arare. Erat et ibi draco pervigil 'Qui crista linguisque tribus presignis et uncis Dentibus horrendus, velleris custos auri erat' [7.150-1]. Hunc necesse fuit occidere et dentes eius in agro per boves predictos ||83r| aratro serere. Ex quibus dentibus sic seminatis armati milites statim nascerentur qui pugnando adinvicem se mutuis cedibus occiderent in illo campo. Erat etiam ordinatum a rege quod quicumque predicta discrimina sustinere posset vel superare vellus aureum libere deportaret. Que omnia Iason vicit arte Medee filie Oete regis Colchos, que in omni arte magica perfectissime fuit docta. Cumque nox accessisset Iason Medeam sue salutis auctricem secum tulit et divitias regis abstulit. Que ut liberius posset facere Medea fratrem suum occiderat et corpus eius sectum in partes innumerabiles circumquaque sparserat, ut cum pater suus vellet persequi fugientes impediretur in colligendo particulas corporis filii sui. Vocatur autem adhuc locus ille lingua Colchorum tomis, id est divisio, eo quod ibi invenisset rex membra filii sui divisa. Sicque Iason cum Medea et suis omnibus nocte fugiens pervenit in patriam suam salvus, igitur fit magnus concursus ad templa deorum vota reddentium pro salute Iasonis et grandis gratulatio procerum et communis vulgi. Sed Eson pater Iasonis confectus senio adesse non poterat. Iason ergo dixit Medee: Confiteor, coniunx, quod penes me summa meritorum tuorum excessit fidem, sed tamen puto quod carminibus valeas facere quicquid velis. Pater meus fessus senio, proximus videtur esse morti, '"Deme meis annis et demptos adde parenti"' [7.168]. Illa mota lacrimis Iasonis promittit quod sibi tempus longevum dabit, et mox ad artes suas magicas est conversa. Solaque constituta hiis precibus usa fuit: '"Nox" ait, "archanis fidissima, queque diurnis Aurea cum luna succeditis ignibus astra, Tuque, triceps Echate, que ceptis conscia nostris Adiutrixque venis cantusque artesque magorum, Queque magos, Tellus, pollentibus instruis herbis; Aureque et venti montesque ampnesque lacusque, Diique omnes nemorum, diique omnes noctis adeste, Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus ampnes In fontes rediere suos, concussaque sisto, Stantia concutio cantu freta, nubila ||83v| pello Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque, Vipereas rumpo verbis et carmine fauces, Vivaque saxa sua convulsaque robora terra Et silvas moveo, iubeoque tremescere montes, Et mugire solum, manesque exire sepulcris. Te quoque, Luna, traho; . . . currus quoque carmine nostro Pallet <avi> et pallet nostris Aurora venenis. Vos michi taurorum flammas ebetastis, et unco Haut patiens oneris collum pressistis arato, Vos serpentigenis in se fera bella dedistis, Custodemque rubrum sompno so-

17-18 Cf. PB 7.3.
18-21 Cf. PB 7.4.

45 avi *add.*
47 cepistis

pistis et aurum Vindice decepto Graias misistis in urbes; Nunc opus est succis per quos renovata senectus In florem redeat primosque recolligat annos' [7.192-216]. Cumque Medea necessaria <herbas> colligisset ad renovationem Hesionis et succus coxisset, qui quecumque tangebant fecerunt revivescere, prescidit ense guttur Hesionis remotis procul famulis et veterem cruorem sivit decurrere. Deinde vulnus 'replet succis, quos postquam combibit Esion, Aut ore receptos aut vulnere, barba' eius et crines 'Canitie posita nigrum rapuere colorem, Pulsa fugit macies, abeunt pallorque situsque' [7.286-90] et imbecillitas. 'Membra luxuriant; Eson miratur et olim Ante quater denos hunc se reminiscitur annos' [7.292-3]. Bachus cernens tantum mirabile rogat Medeam ut restituat nutrices suas Eolidem et Cinosoram, que fuerunt vetule, iuventuti, quod Medea statim fecit.

58-60 PB 7.5.

50 herbas *add.*

57 hunc] nunc

59 ut] et | Eolidem] *PB*: scilidem; *Ovid* (*3.314*): Nyseides

CAPITULUM III.

Interea cum Peleus patruus Iasonis ipsum summo persequeretur odio, Medea cupiens eum vindicare finxit se habere odium cum Iasone. Igitur quasi fugiens ad domum Pelei venit et de Iasonis ingratitudine conquesta est. Et inter cetera improperii verba narrat filiabus Pelei qualiter etiam patrem Iasonis pre senio iam morti proximum revocarit ad pristinam iuventutem. Quod audientes Pelei filie mox sperant ut patrem suum posse per Medeam renovari. Petunt ergo cum instantia et munera grandia paciscuntur ut Medea renovet parentem earum. Medea vero, licet primo ficte se difficilem exhibuisset, tandem facere hoc consensit. Et ut maior fides daretur eam posse, talia iussit ||84r| adduci arietem qui maximus evo esset inter oves. Quem cum Medea ferro iugulasset statim post eliquatum vetustum sanguine infudit succos veneficos, qui et corpus eius minuerunt et cornua exusserunt et mox cepit audiri balatus velut agni. Et paulo post cunctis mirantibus exiliit agnus; Pelei ergo filie hiis visis fidem Medee dedere. Que nocte statuta hortatu Medee patrem occidunt gladiis. Sed Medea iam artem suam succusque vitiaverat et sine viribus herbas posuerat in aqua pura. Peleus ergo sine spe restaurationis occiditur, et Medea vecta per aera arte sua subvehitur et sic a manibus filiarum Pelei liberatur. Expositio:

De Iasone et Medea historicum est de vellere aureo; sensus est quod fuit ibi repositus magnus thesaurus qui custoditus fuit per terribiles boves et draconem factos per artes magicas, ut habetur Rome iuxta Campum Martium thesaurus Octaviani, qui a multis visus est. Sed nil inde auferri potuit propter insultum ymaginum metallicarum ibi constitutarum per artem magicam. De dentibus serpentinis in milites armatos mutatis, de sene renovato, de ariete agnificato, de stipite arescente, refrondescente et reflorente, quia et eadem Medea stipitem olive contactu succorum suorum fecerat revirescere, certe est quod ad hec omnia possunt videri facere venefice, licet in veritate non faciant, sed quibus-

1-6 PB 7.6.

20-25 Cf. Malmesburiensis 3.169-170.

25-30 Arn. 7.1-4.

8 ut] et

dam prestigiis oculos decipiant. Qui Medeam fertur volasse super dracones. Intelligendum est quod per artem magicam demones evocaverit et super eos vecta fuerit quocumque locorum voluerit, et sic facerunt nostris temporibus quedam venefice in hac terra. De mutatione facierum, ut senex appareat iuvenis post esse virum, ut habetur per itinerarium elementis de Simone Mago qui transformavit vultum Faustiani patris sancti elementis ut cuncti crederent eum esse Simonem Magnum; et in Historia Britonum legitur quod Merlinus fecerit Uter pen Dragon apparere Gorloys, qui fuit dux Cornubie.

CAPITULUM IV.

||84v| Iason ut cognovit quod Medea patrum suum Peleum arte sua necasset quodquam eius esset inimicus, exorruit facinus et ipsam propter veneficia abhominabatur et aliam superduxit uxorem scilicet Creusam Creontis filiam. Medea igitur zelotipa et invida camisiam pulcherimam Creuse dedit. Qua cum esset induta confestim in cineres est combusta. Plinius tamen de Naturali Historia mundi, libro de mirabilibus ignium, dicit quod Medea pelicem succendit dum appropinquaret ad aras. Medea igitur de Iasone vindicare se cupiens, duos filios quos de ea Iason genuerat, quia similes erant patri, gladio iugulavit et a facie Iasonis statim fugit, unde Ovidius: 'Et postquam Colchis arsit nova nupta venenis, . . . Sanguine natorum perfunditur impius ensis, Ultaque se male mater Iasonis effugit arma' [7.394, 396-7].

Cerambus diluvium fugiens in avem mutatus est. Expositio:

Cerambus cum omnia sua vivendo luxuriose quasi per diluvium devastasset, exul factus a patria sua fugit, unde fingitur esse mutatus in avem; vel quod verius est, tempore diluvii Deucalionis tamquam ibi providus fecit sibi navem in qua fuit avis depicta in qua fugit, id est evasit diluvium sine lesione, unde Ovidius: 'Dum gravis infuso tellus foret obruta ponto, Deucalioneas effugit inobrutus undas' [7.355-6].

Orpheus cum fuisset occisus a Sitonibus et caput eius in flumen proiectum et iterum per fluctus reiectum super litus, quidam magnus draco illud voluit devorasse, qui mox conversus est in lapidem. Hec etiam dicuntur de Orpheo, sed versus Ovidii habet ita: 'Factaque de saxo longi simulacra draconis' [7.358]. Nempe cum Grecorum exercitus iret ad bellum Troianum, missus est draco ab Apolline qui Grecos devoravit propter Criseidam filiam sacerdotis Apollinis. Que cum esset reddita patri suo, draco mutatus est in saxum longum. Vocabatur autem ille sacerdos Crisis, ut in historia Troiana quam Ditis Grecus edidit plenius videri potest.

Tioneus filius Bachi in Yda silva iuvencum furatus est. Quem cum ille insequeretur ||85r| cuius erat iuvencus et iam comprehendendus esset, Bachus iuvencum mutavit in cervum. Et sic rusticus cervum videns Tioneum abire permisit. Expositio:

33-36 Cf. Malmesburiensis 2.171.
37-38 Cf. Monemutensis 8.19.

1-10 . . .fugit, PB 7.8.
6-8 Plin. *NH* 2.235.
14-16 . . .avem, Arn. 7.5.
20-22 PB 7.9.
28 Dictys Cretensis 2.14, 28, 30, 47, et passim.
30-33 PB 7.11.

10 Et] *Ovid.*: Sed

Tioneus filius Bachi fuisse fingitur quia potator vini fuit maximus, qui revera iuvencum furatus fuerat, sed illum Bachus mutavit in cervum quando rusticum per ebrietatem sic dementavit ut de iumento cervum putaret, unde Ovidius: 'Raptum furta, iumentum, Occuluit Liber falsi sub ymagine cervi' [7.359-60]; signanter dicit 'falsi sub ymagine' quia videbatur ebrio quod iumentus fuit cervus. Quamvis et per artem magicam quam ioculatores exercent sepe res videntur a nobis esse alie per prestigium quam sunt in natura.

34-37 . . .putaret, Arn. 7.6.
42-44 . . .Iove, PB 7.12.

39 per artem] partem

Corithus deos sprevit et convicebatur eis, unde a Iove interfectus est, sepultura sibi negata. Quem cum pater eius sepellire vellet, fulminatus est a Iove, qui propter maximum fetorem vix potuit sepelliri. Tandem parva arena superiecta est illi; totum est historicum.

CAPITULUM V.

1-7 Cf. PB 7.13.
9-10 Arn. 7.7.
18-21 Arn. 7.8.

Mera fuit uxor Herculis quam duo filii eius patre absente prostituerunt; Hercules vero reversus duos filios interfecit. Mater vero pre dolore versa est in canem. Hoc factum expiari non potuit donec victis Lacedemoniis Hercules templum constituit et filias nobilium immolari fecit; ad quod sorte ducta est Helena inter ceteras immolanda. Sed eam ne sacrificaretur, superveniens aquila rapuit et asportavit. Sicque probatum est deos posse placari, et ipsam Helenam veraciter filiam Iovis esse. Expositio:

Mera versa in canem dicitur propter assidua convicia lingue sue quibus non cessavit latrare contra Herculem. Helena erepta est de morte per aquilam, id est per quendam qui in vexillo suo portavit huiusmodi avem depictam.

De victo Gerione ab Hercule et armento suo abducto, Hercules hospitatus est cum Ceo rege. Cumque narraret de penis sibi illatis per Iunonem novercam suam, filie ipsius Cee regis maledixerunt Iunoni et multa convicia dicebant in eam. Quapropter Iuno mutavit quasdam earum in cervas cornutas. Expositio:

Filie Cee finguntur habere cornua propter cordis rancorem, nam et de iratis vel commotis ||85v| pupplice dicimus: Isti exponunt cornua. Per cornua stoliditatem intellige, quia filie Cee stolide sunt pro sua insania deputate.

Thelochinne fuerunt fratres duo filii Plutonis et Invidie qui invidebant vicinis suis, quorum aspectus mutabant omnia in saxa. Iupiter vero metuens ne celum mutari demersit eos in mari. Expositio:

Thelochinne iuxta literam fuerunt filii Plutonis et Invidie quia tam natura invidi extiterunt quod merito de inferno credi potuerunt fuisse generati. Invidebant nempe omnium proximorum suorum successibus, unde agros eorum aquis venenatis aspergebant et steriles faciebant, unde dicuntur aspectu suo omnia mutasse in saxa, quia homines de sua malitia ita reddebant attonitos quod immobiles facti sunt pre stupore

quasi saxa, sed Iupiter submersit eos in mari <ne> amplius talia perpetrarent. Hoc est historicum quod dicitur esse submersione eorundem.

Alchidamas quidam tirannus fuit. Cuius filia cum esset impregnata a Mercurio crudelitate patris metuens petiit ne per partum suum penam a patre incurreret. Et factum est ut cum peperisset inventa est columbam peperisse. Expositio:

Filia Alchidame decepit patrem suum quia non clamavit in partu, sed latenter edidit filium et asportari fecit. Et tunc demum quasi parturiens vocificata est. Quod ut pater audivit iratus est valde. Et volens occidere matrem cum partu, venit ad considerandum quem sexum peperisset. Et tandem ut ostensa est ei columba et dictum quod filia sua columbam peperisset. Ille cum nichil aliud reperisset ita in domo credidit esse et maxime mirabatur, unde Ovidius: 'Qua pater Alchidamas placide de corpore nate Miraturus erat nasci potuisse columbam' [7.369-70].

Cignus filius Yries amasius fuit Phillii regis qui ei volucres et leones domitos dare solebat. Tandem cum thaurum domitum ei quadam vice negaret, Cignus ob hoc iratus a turri seipsum precipitare voluit, et sic mutatus est in cignum; Yries mater eius credens eum demersum tamdiu lacrimata est quod stagnum de fletu suo fecit. Expositio:

Cignus ||86r| offensus Phillio mutatus est in olorem. Fugit nempe Phillii comitivam et devenit cantator suavissimus et organizator, unde fingitur mutatus in cignum, eo quod cignus inter aves dicitur esse cantator. Yrie mater Cigni pro filio in avem mutata, id est de patria profecto, tamdiu flevit quod in aquam sui nominis omnino defluxit, quod nil aliud fuit nisi quod in aquam pre dolore se submersit, que de nomine eius Yrie dicta fuit.

Ophius quidam rex fuit qui habebat Combam in uxorem. Que cum deprehensa esset in adulterio, a filiis mariti sui fugiens in avem mutata est. Expositio:

Hoc ideo fingitur quia privignorum vulnera velociter ac si pennata esset effugit, unde Ovidius: 'Trepidantibus alis Ophias effugit natorum vulnera Combe' [7.382-3].

Menephron voluit concumbere cum matre sua et ideo mutatus est in feram. Expositio:

Hoc potest dici de quolibet volente inferre vim parenti suo quod more ferarum facit.

'Inde Celauree Latoydos attigit arva In volucrem versi cum coniuge conscia regis' [7.384-5]. Latoidos, id est Diane. Celaurea regio ubi colitur Diana. Hec fabula applicatur Tereo et Progni.

Cephison nepotem habuit Focam nomine, qui cum nollet cedere Apollini disputando ab eo mutatus est in focam piscem marinum. Expositio:

46-50 Cf. PB 7.20.
54-57 Arn. 7.11.
61-62 . . .effugit, Arn. 7.12.
64-65 Cf. PB 7.18.

31 ne *add.*

Iste Focas vel Foceus quidam imperitus fuit, qui cum sapiente disputans devictus est et mutatus est in piscem quia indictum est ei silentium, sicut piscibus quia <naturaliter muti sunt>. Sed in phocam potius quam in alium piscem quia illi pisces sunt sompnolenti, unde magis videntur muti quam ceteri.

Eumelus quidam rex fuit qui filiam propriam voluit corrupuisse, sed iuvante Mercurio mutata fuit in avem et sic effugit manus patris. Expositio:

Hoc partim est historicum, partim allegoricum; quod filiam voluit pater corrumpere verum fuit; quod in avem mutata fuerit Mercurio faciente sic intellige: quod de patria sua et patris violentia Mercurio faciente, id est sapientia sua et eloquentia consulente.

Perifas et Phineus neptisque Poliphemonis de patria sua latenter et subito aufugerunt, unde fabula data est quoniam ||86v| in aves fuerunt versi.

74-78 Arn. 7.13.
79-80 PB 7.19.
82-85 Arn. 7.14.
86-88 Arn. 7.15.

76 naturaliter muti sunt *add.*

CAPITULUM VI.

Dum Medea fugeret Pelei filias et iram Iasonis, a rege Athenarum Egeo recepta est hospitio et ab eo in uxorem ducta, unde Ovidius: 'Accipit hanc Egeus, facto dampnandus in isto, Nec satis hospitium est, thalami quoque federe iunxit' [7.402-3].

Theseus autem miles optimus filius dicti regis tunc aberat missus ad pacandas gentes rebelles, et iam virtute sua Isthmon regionem quandam subiugaverat, et interficiendo in illo monte taurum ferocem et homines incolentes locum. Cumque post victoriam redisset ad patrem et patriam, incognitus fuit patri propter longam moram. Medea igitur Theseum metuens, suggessit Egeo ut Theseum tamquam hostem regni veneno perimeret. Pater vero consentiens, venenum a Medea confectum filio, quem non advertebat esse filium suum, venenum ad bibendum porrexit. Quod cum Theseus accepisset, nescius quod venenum esset et bibere voluisset, pater respexit capulum ensis filii in quo signa cognovit sui generis. Et confestim potum pestiferum, quem non dum tetigerat, excussit de manu eius, quem iam apposuerat ori suo. Quod sentiens Medea 'Effugit illa necem tenebris per carmina motis' [7.424], id est inductis.

1-2, 5-16 Cf. PB 7.22.

CAPITULUM VII.

Hercules dilexit reginam inferni Proserpinam qui associato sibi Theseo descendit ad infernum ut eam raperet. In introitu inferni invenit canem Cerberum ianitorem qui tria habebat capita et de quolibet latrabat, ita quod totum infernum concutiebat et Herculi pro viribus resistebat. Hunc ergo vicit Hercules et victum cathena triplici adamantina traxit sursum secum ad superos. Qui mox ut vidit lucem 'Implevit ternis latratibus auras Et sparsit virides spumis albentibus agros' [7.414-

1-6, 8-9 PB 7.23.

5]. Ex quibus spumis agri, prius fecundi, vires cepere nocendi et herbas protulerunt venenosas. Expositio:

Hercules fuit magnus astrologus qui diligebat Proserpinam reginam inferni, id est affectavit cognoscere cursus eius et eam ab inferis, id est de obscuritate, ad superos evocare, id est ad notitiam humanam perducere causa crementi eius et decrementi et ||87^r| eclipticarum. Cerberum ergo traxit qui ei obstabat, id est cognovit quod terra, que Cerberus vocatur, causabat obscuritatem vel absconsionem lune. De spuma Cerberi aconiton crevisse dicitur. Per Cerberum tricipitem terram habemus que tria habet capita, id est Asiam, Affricam, et Europam, de cuius terre spuma, id est bono succo, bone herbe proveniunt. De malo vero succo aconiton, id est herbe venenose. Et est aconiton similis thuri vel, alii asserunt, pastinace. Vel Hercules traxisse ab inferis Cerberum dicitur quia cum esset philosophus omnes cupiditates et cuncta terrena vitia contempsit et domuit. Nam Cerberus terra est, id est consumptrix omnium corporum, unde et Cerberus dictus est quasi ceros beros, id est vorans carnes. Alia fabula habet quod Hercules descendit ad infernum pro Alceste uxore regis Admeti.

15-20 Arn. 7.16.
20-24 MV^3 13.4.
24-25 Virg. *Culex* 262-4.

23-24 ceros beros] MV^3: κρεοβόρος

CAPITULUM VIII.

Admetus rex Grecie Alcestem in coniugium petiit, cuius edictum pater proposuerat ut siquis duas feras dispares currui suo adiungeret, is eam duceret in uxorem; Admetus igitur Apollinis et Herculis auxilia postulavit. Illique ad currum eius leonem et aprum iunxerunt; Admetus itaque Alcestem accepit coniugem. Cumque in infirmitatem decidisset et comperisset se moriturum, Apollinis miserationem precatus est. Qui nichil respondit eum posse iuvare nisi aliquis de propinquis se pro eo morti voluntarie optulisset. Quod uxor eius Alcestes fecit libentissime, itaque dum Hercules ad Cerberum extrahendum descenderet, ipsam reduxit de inferis. Expositio:

Admetus mentem signat. Et dicitur Admetus quasi quem possit adire metus. Mens enim, non corpus, suscipit metum. Hic Alcestem in coniugium desiderat quia alce lingua attica presumptio dicitur; mens ergo vivida presumptionem, id est animositatem, sibi videns necessariam, eius coniunctionem desiderat. Sed ut eam assequatur, duas feras diversas necesse est currui suo adiungat, id est vite sue duas virtutes videlicet animi et corporis. Denique et Apollinem et Herculem sibi petit, id est sapientiam et virtutem. Ergo presumptio semetipsam ad mortem obicit ut Alcesta, id est animositas, pro defendendo ||87^v| vigore anime periculosa libenter incurrit. Quam tamen licet in periculo mortis deficientem, virtus de inferis revocat, ut Alcestem Hercules. Cerberus triceps, qui Plutonis subicitur pedibus, qui etiam carnes vorat, interpretatur odium quod triplici diversitate in terris exercetur. Est enim odium aliud naturale ut hominum et serpentum; aliud casuale ut

1-21 MV^3 13.3.
22-27 MV^3 6.22.

13 alce] *MV^3*: ἀλκὴ
14 vivida] *MV^3*: timida
24 ut[1]] et

cum pro uno verbo odium sepe incurritur, nec componitur; aliud casuale ut quod ex illata iniuria componitur. Sicque Cerberus triceps describitur.

CAPITULUM IX.

Egeus post fugam Medee, ut vidit filium suum Theseum gratiose salvatum, 'ignibus fovet aras Muneribusque deos implet, feriuntque secures Colla thorosa boum vinctorum cornua vittis. Nullus Erectidis fertur celebratior illo Illuxisse dies; agitant convivia patres Et medium vulgus. Nec non et carmina vino Ingenium faciente canunt: "Te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretei sanguine tauri"' [7.428-34].

Fabula est et historia quod Minos rex Crete devictis Atheniensibus, cum redisset et vidisset iuxta mare quendam thaurum pulcherimum, petiit a Neptuno sibi daret illum ad sacrificandum. Sed tauro quem Neptunus sibi ad sacrificandum dederat a sacrificio fraudulenter subtracto, Neptunus immisit ei furorem, ita quod fructus et omnia armenta fere vastavit. Quem taurum ligatum Hercules in Marathonem montem transmisit. Quem postea iaculo Theseus peremit et a tanta peste totam patriam liberavit. Alius actus Thesei:

'Tellus Epidauria per te Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem' [7.436-7]. Historia fabulosa est quod Erictonius fuit Vulcani filius et Minerve, natus semidraco vel cum pedibus dracontinis et ob turpitudinem pedum. Primo adinvenit currus ut sic equitando pedum celaret deformitatem, unde dicitur 'Primus Erictonius currus et quatuor ausus Iungere equos rapidusque rotis insistere victor.' Iste Erictonius cum adultus fuisset indigenas cum clava perimebat. Quem Theseus devicit et Epidauricam regionem a tali monstro liberavit. Qui dicunt quod Erictonium ||88r| non occidit Theseus, sed quendam Cacum nomine qui filius Vulcani dicebatur.

Occidit et Gerionem, non illum Hispanicum, sed quendam latronem vastantem vicinia Eleusine civitatis occidit; et Procrusten latronem qui hospites recipiebat, sed de nocte dormientes occidebat et postea devorabat. Quem Theseus ab eo receptus hospitio, cum parasset Theseum occidere, Theseus eum peremit, unde Ovidius: 'Gerionis letum vidit Cerealis Eleusis; Vidit et immitem Cephesias ora Procrusten' [7.439, 438].

Occidit et Cercionem qui fuit gigas et latro ita fortis quod altas incurvavit arbores usque ad terram, et ibi ponens laqueos homines in tantum transeuntes dum capita illic imposuissent retrogredientibus sursum arboribus strangulabantur. Iste a nonnullis Synus alio nomine dicebatur, unde Ovidius: 'Occidit ille Sinis magnis male viribus usus, Qui poterat curvare trabes et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus '[7.440-2].

Occidit et Chironem quendam tyrannum qui sedebat in quodam transitu iuxta quendam scopulum et cogebat transeuntes osculari pedes

7-14 Cf. PB 7.24.
16-19 . . .deformitatem, Serv. *G* 3.113.
19-20 Virg. *G* 3.113-4.
22-24 Cf. PB 7.27.
26-29 et. . .peremit PB 7.25.
32-35 PB 7.26.
39-50 Cf. PB 7.28.

25 Gerion] *id est Cercyon*
32 Cercion] *id est Sinis*
39 Chironem] *id est Scironem*

suos. Quos statim precipitabat et precipitatos spoliabat. Quem tandem Theseus in habitu pauperis transiens precipitavit et ita via per illum tuta facta fuit, unde Ovidius: 'Tutus ad Alchatoen, Lelegia menia, limes Composito Chirone patet' [7.443-4]. Ossa Chironis nec terra nec mare recipere voluit, sed in lapides et scopulos abierunt, unde Ovidius: 'Sparsisque latronis Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda; Que iactata diu fertur durasse vetustas In scopulos: scopulis nomen Chironis inheret' [7.444-7.] Et puto quod ab isto nomine inolevit in quibusdam partibus Gallie, quod tales lapidosi scopuli ab incolis dicuntur chironus.

50 chironus] *PB*: Scirones

CAPITULUM X.

Mynos rex Crete filium habuit Androgeum quem doctoribus Atheniensibus tradidit erudiendum. Qui in brevi tempore non solum discipulos sed et magistros in scientia superavit. Qui invidentes ei de latissima turri precipitaverunt. ||88^{v}| Quapropter Mynos Athenas obsedit et tali pena populum condempnavit quod sibi in Cretam omni anno septem cives pro tributo mitterent, quos Mynotaurus quoddam monstrum crudelissimum devoraret. Theseus ergo Mynotaurum occidit et Athenienses liberavit a iugo gravissime servitutis.

Mynos duxit uxorem Pasiphem filiam Solis que cuiusdam tauri amore flagrabat, qui in armento fuit Mynois, illius scilicet quem dudum sacrificasse Neptuno debuerat pro victoria adepta de Atheniensibus. Hec ergo Pasiphe arte Dedali in lignea vacca inclusa ad opus nepharium est submissa. Ex qua natus fuisse dicitur Mynotaurus, quoddam monstrum caput habens taurinum, sed cetera membra humana. De qua dicit Ovidius quod enixa est 'semivirumque bovem semibovemque virum.' Alii dicunt quod Pasiphe cum tauro concubuit in domo Dedali et quod geminos peperit, unum de Mynone. Alterum de tauro, unde enixa fuisse Mynotaurum dicitur. Sed quia Dedalus huic rei consensum prebuit, rex eum trusit in carcerem labyrintum. Sed regina corruptis custodibus eum relaxavit; Dedalus vero navigio fugiens in mari, Ycarum filium suum perdidit. Ipse vero 'remigio evasit alarum.' Ale enim et volucrum sunt et navium, unde illud: 'Remorum pandimus alas.' Ac per hoc Dedalus alas aptasse sibi perhibetur. Filios vero Atheniensium et filias qui Mynotauro devorandi mittebantur post victas Athenas Mynoi in tributum auri et argenti pondera arbitror accipienda.

Labyrintum Dedalus Eupalami filius genere Atheniensis in Creta edificavit. Qui tam prudens erat in fabrica ut eam artem a Minerva didicisse credatur. Est autem labyrinthus perplexi parietis edificium quale est apud Cretam a Dedalo factum ubi fuit Mynotaurus inclusus. In quem siquis sine glomere introierit exitum invenire non possit.

Quatuor autem sunt labyrinthi. Primus Egiptius, secundus Creti-

1-7 PB 7.29.
9-14 Cf. MV^{2} 121.
15 Ovid. *AA* 2.24.
16-26 MV^{3} 11.7.
21 Virg. *A* 6.19.
22 Virg. *A* 3.520.
29-34 Isid. *Etym.* 15.2.36.

6 quondam

35–37 Cf. PB 7.30.
38, 42–44 PB 7.31.
54–58 Arn. 7.17.

cus, tertius in Lempno, quartus in Ytalia. Omnes sic constructi ut dissolvere eos nec secula possint labyrintus.

Siton quedam mulier fuerat que Arnen patriam suam auro corrupta prodidit, propter quod ipsa in monedulam dicitur esse mutata, quia huius generis aves aurum libenter furantur.

Eacus filius ||89r| Iovis et Egine filia Esopi regnavit in Enopia. Cui Iuno irata immisit pestilentiam que totum populum fere delevit, unde Ovidius: 'Pervenit ad miseros dampno graviore colones Pestis et in magne dominatur menibus urbis. . . . Nec locus in tumulos est, nec sufficit arbor in ignes' [7.552–3, 613]. Quod videns Eacus dolore commotus Iovem rogavit ut daret sibi tantam copiam hominum quantam vidit formicarum in trunco cuiusdam querci vicini sibi. '"Totidem, pater optime" dixit "Tu michi da cives et inania menia supple!"' [7.627–8] dixit, et postea dormitum porrexit. Mane vero Thelamon filius suus accessit ad eum et dixit: '"Speque fideque, pater" dixit "maiora videbis Egredere!"' [7.648–9]. Qui mox egressus aspicem virorum innumerabilem multitudinem sibi occurrentium qui eum regem salutant et venerantur. Qui libet confestim urbem suam vacuam est partitus et agros priscis cultoribus vacuatos, et Mirmidones eos vocat. Quique 'mores, quos autem gerebant, Nunc quoque habent; parcum genus est patiensque laborum Quesitique tenax et quod quesita reservet' [7.665–7]. Expositio:

Formice in Mirmidonas mutate fuerunt, quod ideo fingitur quia populus ille cum formicis et corpore concordat et moribus. Corpore quia nigri sunt et parvi et macilenti. Moribus quia parci, sed tamen fortes et luxuriosi, unde etiam nomen a formicis traxerunt. Mirmadona enim grece formica sonat latine. Formica siquidem, ut asserunt, est tam fortis quod massam plumbi fert tantam quanta ipsa est quod nullum animal facit, unde fortius creditur omni animali.

Cephalus duxit Procrin filiam Erectei sororem Orithie in uxorem. Aurora dolens se fore contemptam, que Cephalum prius dilexerat et eum rapuerat ut coniux eius esset, immisit in cor Cephali morbum suspicionis, ut dubitaret iam utrum Procris esset sibi casta vel non. Voluit ergo temptare si esset pudica. Nempe 'Esse metus cepit, ne iura iugalia coniux Non bene servasset' [7.715–6]. Mutat ergo figuram suam, 'Ingrediturque domum, sed culpa domus ipsa ||89v| carebat Castaque signa dabat dominoque erat anxia rapto. . . . Tristis erat (sed nulla tamen formosior illa Esse potest tristis) desiderioque calebat Arepti coniugis' [7.724–5, 730–3]. Tandem Cephalus cepit pulsare eius pudicitiam multis blanditiis, sed nichil ei profuit. Demum cum inestimabilem summam pecunie pro unius noctis obtulisset solatio, hesit mulier et velut dubitare cepit, tunc ille nil disserens exclamavit: '"Verus eram coniux! me, perfida, teste teneris"' [7.742]. At illa verecundata repente fugit et montibus et silvis errabat, intenta Diane studiis, id est venationi cum Diana. Tunc Cephalum vehementior ignis exussit et cepit querere

coniugem amissam per suam stultitiam. Tandem cum penituisset et se peccasse confessus fuisset, Diana restituit sibi uxorem suam. ‘Dat sibi preterea, tamquam si parva dedisset Dona canem’ [7.754-5], videlicet qui omnes canes currendo superaret. Dat simul et iaculum quod numquam emissum iactantem falleret, unde Ovidius: ‘Consequitur quodcumque petit’ [7.683]. Expositio:

Ista fabula inventa est a poetis propter zelotipiam virorum qui incipiunt de uxoribus querere que scire non expedit, unde multa mala proveniunt. Cephalus ergo dicitur mutatus in adulterium quia uxorem suam de adulterio, id est quasi non notus, solicitavit. Et ideo datur ei canis omni cane velocior, suspicio, que numquam desistit currere; et iaculum quod numquam incassum emittitur, quia amor suspiciosus quocumque intentatus fuerit semper ad eum qui eum dirigit revertitur et cruentat eum, unde Ovidius: ‘Consequitur quodcumque petit, fortunaque missum Non regit, et nullo revolat referente cruentum’ [7.683-4].

Cephalus postquam restitutus est uxori sue venationi dedit operam multotiens sine famulis, sine canibus, sine retibus; solo suo iaculo contentus erat. ‘Tutus erat iaculo; sed cum satiata ferine Dextera cedis erat, repetebat frigus et umbras’ [7.808-9], et auram gelidam cupiebat inflare sinus suos. Eratque mos sibi quotiens lassus erat et sudore madidus auram consuetudinaliter advocare, sic ||90r| dicens: Aura veni, ‘“Meque iuves intresque sinus, gratissima, nostros”’ [7.814]. Addidit et blanditias plures ut homo lassus a torpore solet exquirere tali modo: ‘“Relevare velis, quibus urimur, estus. . . Tu michi magna voluptas. . . Tu me reficisque fovesque, Tu facis ut amem silvas locaque sola”’ [7.815, 817-9]. Aderat quidam qui eum auram vacare crebrius audivit et putabat eum amore alicuius femine esse captum, et hoc indicavit uxori. Que mox ‘Quod nichil est metuit, metuit sine corpore nomen Et dolet infelix veluti de pelice vera’ [7.830-1]. Postera die egressa est ad experiendum si fama foret vera que pervenit ad aures eius. Et ille post laborem more solito umbras petiit et auram de sua consuetudine advocavit. ‘“Aura, veni” dixit “nostroque medere labori”’ [7.837]. Procris hec audiens gemitus dedit; ille estimans feram inter frondes telum suum volatile misit, et tunc comperit quod ‘Procris erat medioque tenens in pectore vulnus’ [7.842]. Cumque Cephalus accurrisset et coniugem esse quam percusserat cognovisset, doluit. At illa oravit eum talibus illico moritura: ‘“Per siquid merui de te bene perque manentem Nunc quoque, cum pereo, causam michi mortis amorem, Ne thalamis Auram patiare innubere nostris!”’ [7.854-6]. At Cephalus tunc denique cognovit illam deceptam errore nominis aure.

Cephalus accepto cane Lelapa quem Procris eius uxor sibi dederat quendam ferum aprum qui terras ubi devastabat insequitur. Cumque diu canis aprum insecutus fuisset, repente Cephalus elevatis oculis nec

83-85 Cf. PB 7.32.
85-86 Arn. 7.18.

85 adulterium] ulterium

canem quidem vidit, nec aprum, sed tantum duo marmora campo que ad formam canis et apri facti apparuerunt, ut hunc fugere, illum insequi et latrare putares. Expositio:

Canis et fera in duo marmora nichil aliud fuit nisi quod de summitate cuiusdam montis precipites se dederunt, alter timore mortis, alter amore prede. 'Carmina Naides non intellecta priorum Solvunt ingeniis, et precipitata iacebat Immemor ambagum vates obscura suarum' [7.759-61], scilicet alma Themis. Quondam proponebatur ||90v| hoc problema Themi dee: unum alterum sequetur, neutrum vincit, neutrum vincetur. Sed cum Themis hoc non posset exponere, a deitate sua spoliatur. Sed Naides hoc exposuerunt.

Explicit Liber Septimus

124-126 Arn. 7.19.

121 aprum] canem

LIBER VIII

Liber octavus habet novem fabulas principales. Prima habet Mynoen obsidentem Alchatoen civitatem Atheniensibus confederatam ubi rex Nysus erat, et ut Scilla filia Nysi fatalem absciderit patris crinem; hec fabula incipit ab hoc versu: 'Interea Mynos Lelegia litora vastat' [8.6].

Secunda fabula de Pasiphe que arte Dedali inclusa vacca lignea concepit de tauro monstrum Mynotaurum, et ut Mynos arte Dedali inclusit in labyrintho Mynotaurum, et de Scilla mutata in alaudum et Nyso in alietum. De Pasiphe inducitur fabula in hoc versu: 'Te vere coniuge digna est, Que ligno torvum decepit adultera taurum' [8.131-2]. De Scilla et Nyso in hoc versu: 'Quam pater ut vidit' [8.145]. De Mynotauro in hoc versu: 'Creverat obprobrium generis' [8.155]. De labyrintho ab hoc versu: 'Dedalus ingenio' [8.159].

Tertia fabula de Theseo et Adriagne que incipit ab hoc verbo: 'Monstrum Tertia sors annis domuit repetita novenis' [8.170-1]. In hac fabula tangitur quomodo Adriagne mutata est in coronam stellarum miseratione Liberi patris postquam derelicta fuit a Theseo, et hec fabula incipit ab hoc versu: 'Protinus Egides' [8.174], id est Theseus ab Egeo patre suo. Corona Adriagnes est constituta in medio signorum illorum quorum alterum 'nexus genu' dicitur, alterum 'tenens anguem,' id est inter duos Hercules, quorum unus 'nexus genu' dicitur, alterum 'tenens anguem' quia in cunis strangulavit angues immissos sibi a Iunone, vel quia occidit serpentem in Lerna palude; vel Offiucus, id est serpentinus, inter duos Hercules est illa corona; vel Esculapium signat qui in celo tenet duos angues a quibus herbas didicit quibus Ypolitum suscitavit.

Quarta fabula de Dedalo et Perdice mutato in avem sui nominis, que ||91r| introducitur post volatum Dedali et submersionem Ycari in hoc versu: 'Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati Garrula ramosa prospexit ab ylice perdix' [8.236-7].

Quinta fabula de Theseo redeunte post occisionem Mynotauri et de demersione patris sui Egei spontanea in mari Egeo. Hec non plene tangitur in Ovidio. Nos tamen, quia relatu et memoria digna videtur, eam plenius explicavimus et loco fabule quinte posuimus. Quinta tamen fabula in Ovidio habet Cocali regem defendentem Dedalum a Mynoe, et reditum Thesei, que fabule sibi sunt connexe et incipiunt ab hoc versu: 'Iamque fatigatum' [8.260].

Sexta fabula de ira Diane contra Oeneum regem Calidonie et apro immisso ad vastandum terras suas, et Meleagro perimente feram et morte Meleagri per matrem suam procuratam magice, et sororibus suis versis in meleagrides volucres, et Acheloe, et mutatione dearum in insulas, et ut Achelous devirginavit Perimelem, que ex post mutata est in insulam sui nominis. De Diana et apro fabula incipit ab hoc versu: 'Sparserat Argolicas' [8.267]. De Meleagro et venatoribus apri ab hoc versu:

2 Alchitoen
14 Adriagne] *id est Ariadne*
18 id est] in

'Diffugiunt populi' [8.298]. De morte Meleagri ab hoc versu: 'Dona deum templis' [8.445]. In hac fabula introducuntur Parce assistentes nativitati Meleagri et vite sue metam determinantes, que incipit ab hoc versu: 'Stipes erat' [8.451]. Deinde sequitur mors Meleagri ab hoc versu: 'Funereum torrem medios coniecit in ignes' [8.512]. De sororibus Meleagri ab hoc versu: 'Non michi si centum deus ora sonantia linguis' [8.533]. De Naidibus ab hoc verbo: 'Tum maximus heros Equora prospiciens' [8.573-4]. De Perimele ab hoc versu: 'Ut tamen ipse vides' [8.590].

Septima fabula habet Iovem et Mercurium receptos hospitio a Baucide et Philemone et domum eorum versum in templum, et incipit ab hoc versu: 'Haud procul hinc stagnum est' [8.624].

Octava fabula de Protheo, cui licuit se mutare in figuras varias, incipit ||91v| ab hoc loco: 'Nixus cubito Calidonius ampnis Talibus alloquitur' [8.727-8].

60 Famem] flamen

Nona fabula habet Herisictonem spernentem Cererem et ipsam immittentem sibi Famem que eum consumpsit, unde compulsus est vendere filiam propriam, que se mutavit in formas varias, que postea nupsit Auctiloco. Hec fabula incipit ab hoc loco: 'Nec minus Auctiloci coniux' [8.738]. In hac fabula introducitur descriptio Famis ab hoc loco: 'Est locus extremis Scithie' [8.788]. De filia Herisictonis ab hoc loco: 'Filia restabat, non illo digna parente' [8.847]. Introducitur etiam in hac fabula quod Achelous de se testatus fuerit quod in quascumque formas voluerit se potuerit transformare.

CAPITULUM I.

1-8 PB 8.1.

2 Alchitoen

Mynos Iovis filius rex Cretensis in vindictam filii Athenis interfecti obsedit Alchatoen civitatem Atheniensibus confederatam ubi Nisus rex dominabatur. Habebat autem Nisus in capite crinem aureum sibi regnoque suo fatalem. Qui fatatum erat quod quamdiu ille crinis ipsius capiti inhereret ipse rex viveret et regnum tutum ab hoste maneret. Dempto vero crine necesse fuit regem mori et possibile regnum capi.

Habebat rex Nisus filiam Scillam nomine que cotidie turrem ascendit altissimam ad spectanda belli certamina. Cumque vidisset Mynoen pugnantem contra patrem et patriam, 'Nam belli mora procerum quoque nomina norat, Habitusque et arma et equos' [8.21-2]. Inter que et Mynois faciem viderat et eius notitiam habuerat, a remotis in amorem ipsius exarsit et apud se sic tacite indicabat: '"Iusta gerit certe pro nato bella perempto"' [8.58]. Et sua causa valet ut satisfaciam amori patrem crine fatali spoliabo, et ita amorem Mynoys michi conciliabo. Dixit, et nocte paternos intrat thalamos taciturna et patrem spoliat crine fatali. 'Predaque potita nephanda, Fert secum spolium sceleris; progressaque porta Per medios hostes (meriti fiducia tanta est) Pervenit ad ||92r| regem, quem sic affata paventem est: '"Suasit amor facinus; proles ego

regia Nisi Scilla, tibi trado patriamque meosque penates. Premia nulla peto, nisi te; cape pignus amoris Purpureum crinem. Nec me nunc tradere crinem, Sed patrium tibi crede caput!" scelerataque dextra Munera porrexit' [8.86-95]. At Mynos exorruit facinus et mox impositis legibus civitati capte, iussit classis retinacula solvi. At illa Mynoen hiis verbis insecuta est; '"Nil agis, o frustra meritorum oblite meorum; Insequar invitum puppimque amplexa recurvam Per freta longa trahar"; vix dixerat, insilit undis; Consequiturque rates faciente cupidine vires Gnosiaceque heret comes invidiosa carine' [8.140-4]. Interea pater mutatur in avem sui nominis vocatum nisum, vel potius in alietum, et persecutus est filiam suam Scillam, iam navi herentem que pre timore suo versa est in cirem, id est in alaudam, adepto hoc nomine de tonso capillo paterno. Nam cirrus est capillus, vel capillorum globus. Expositio:

Scilla purpureum crinem patris secans, in quo pendebat eius vita, Mynoi quem amavit presentavit. Revera habuerat a diis responsa quod non amitteret regnum quamdiu haberet crinem purpureum, fuerat nempe rufus. Quod aliter intelligens filia sua Scilla prescidit caput suum manu propria et cirros sanguine cruentavit et Mynoi in spe coniugii presentavit, et hic accipitur pars pro toto, id est capillus pro capite. Nisus vero fingitur mutatus esse in avem alietum, quia sicut tyrannus fuerat hominum, ita tirannus est avium, sed alaude potius in quam filia eius fingitur esse mutata quia adhuc pater offensus eam pre ceteris insequitur, vel quia avis illa cirrata est que cirrum, id est capillum, patris secavit.

33-34, 36-43 Arn. 8.1.

CAPITULUM II.

Dum Mynos rex Crete in obsidione Athenarum fuit, Pasiphes uxor eius filia Solis taurum insano amore dilexit eiusque copulam concupivit. Quapropter vaccam ligneam per Dedalum fecit fieri, quam pelle vacce ||92v| recenter occise induit, et sic nephandum propositum assecuta est. Que tauro supposita genuit Mynotaurum, partim hominem, partim taurum. Minos victor rediens, novitate monstri attonitus, pro celanda verecundia sua et sue coniugis fecit fieri arte Dedali labyrinthum, domum scilicet diversis ambagibus flexuosam in quam quilibet intrare poterat, sed amplius exinde regredi nesciebat, unde dicitur de Dedalo 'vixque ipse reverti Ad limen potuit, tanta est fallacia tecti' [8.167-8]. Ibi ergo Minotaurum inclusit et cum corporibus nobilium quos bello devicerat enutrivit, quos sorte ductos in labyrinthum mittebat et eos Minotaurus protinus devorabat. De ista materia Orosius ita scribit: Anno ante Romam conditam sexcentesimo sexagesimo atrocissimum inter Cretenses et Athenienses certamen fuit, ubi populis utrimque infeliciter profligatis cruentiorem victoriam Cretenses exercuerunt. Qui nobilium Atheniensium filios Minotauro, utrum fero homini an

1-13 PB 8.3.

14-19 Orosius 1.13.1-2.

14 sexcentesimo] *Orosius*: DLX

humane bestie aptius dicam nescio, devorandos crudeliter addicebant atque informe prodigium effossis Grecie luminibus saginabant. Omnia hec sunt historialia et ideo non indigent expositione.

CAPITULUM III.

Cum nobiles Athenienses sorte mitterentur ad devorandi Mynotaurum, quia indictum fuit Atheniensibus ut omni tertio anno mitterent septem iuvenes ad beluam devorandos, et iam duobus ternariis mississent quatuordecim, in tertio ternario, id est in nono anno, sorte cum aliis electus est Theseus filius regis Egei Atheniensium, iuvenis et speciositate et pulcritudine et fortitudine omnes alios antecellens; hunc cum vidisset Adriagne filia regis Minois adamavit. Et pacto coniugio, Dedali consilio, Adriagne tradidit ei filum et globum piceum, quo filo ligato ad postem in primo introitu venit per flexuosas ambages ad Minotaurum. Qui mox aperuit os suum ut eum devorare, Theseus vero statim globum picis proiecit in os eius. Quem dum masticaret ||93r| evaginato gladio caput eius amputavit. Deinde sequens filum rediens ad portam per quam intraverat sine errore exivit. Deinde navem ascendens Adriagnem secum duxit. Quam tamen dormientem reliquit in Chio insula et aliam, nomine Phedram, superduxit, sororem scilicet Adriagnes. Accidit quod eo tempore Liber, id est Bachus, de India victor rediens, Chium veniret. Adriagne evigilans, cum Theseum nullibi cerneret et iam eum fugisse eam cognovisset, inconsolabiles fecit lamentationes. Liber, ut audivit causas doloris sui, compassus sibi eam accepit uxorem et genuit ex ea tres filios, scilicet †Clivum,† Thoanta, et Tyeneum venatorem. Liber tandem Adriagnem stellificavit in celo, quod signum dicitur Corona, quia de corona capitis eius Liber misit eas in celum. De corona Adriagnes vide in principio libri. Expositio:

Corona Adriagnes in stellas mutata fuit. Quia revera sunt in celo quedam stelle que sic in circulo posite sunt ac si essent corona. De Dedalo et filio suo Ycaro qualiter volaverint et quid volatus significet supradixi.

1-20 . . . accepit, cf. PB 8.4.

23 Cf. supra, 8, incepta.

24-25 Arn. 8.2.

25-27 Cf. supra, 7.10.

15 Chios] *Ovid.*: Dia; *id est Naxos*

17 nullubi

20-21 Clivum] *nomen corruptum; mater Thyonei Semele erat.*

30 vendicat

CAPITULUM IV.

Perdix nepos fuit Dedali, sororis sue filius, commissus Dedalo ad erudiendum. Quem et in scientia superavit et insuper serre et circini usum primo invenit, ob quam causam Dedalus illi invidens ipsum de arce palladis precipitavit. Sed Pallas dea sapientie, que semper favet ingeniis, ipsum in avem sui nominis scilicet perdicem mutavit. Que adhuc casus sublimis memor alta non solet ascendere, sed prope terram volare et in sepibus vel gleba nidificare, unde Ovidius: 'Propter humum volitat ponitque in sepibus ova Antiquique memor metuit sublimia casus' [8.258-9]. Hec cum Dedalus submersum filium sepelliret gaudebat et Dedalo insultabat. Dedalus alas suas post maris transitum in templo

1-12 PB 8.8.

Apollinis victimam consecravit, ubi et historiam Adriagne depinxit. Sed Ycari filii sui historiam pre fletu depingere non ||93v| valebat. De Perdice sic dicit Ovidius: 'Ille etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum, ferroque incidit acuto Perpetuos dentes, et serre repperit usum; Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo Vinxit, ut equali spatio distantibus illis, Altera pars staret, pars altera duceret orbem' [8.244-9]. Expositio:

Perdix Dedali nepos fuit. Qui ideo Perdix dictus est a sensu contrario, quia tam excellentis fuit ingenii quod nichil perdebat eorum que a Dedalo audiebat. Fuit nempe traditus Dedalo duodenius. Dedalon quoque ingeniosus interpretatur, sed Perdix ex post pre nimio studio prevenit fatuus, unde dicitur a Dedalo, id est ab ingenio, precipitatus quia ab ingenio desipuit. Et ideo ex post mutatus dicitur esse in avem sui nominis, id est perdicem, que adeo obliviosa est quod suorum ovorum obliviscitur et incubat alienis. Sicut iste oblitus sue scientie prope humum, id est iuxta humum, volat modo qui in altitudine sue scientie volare solebat. Quod Dedalus alas suas consecravit templo Apollinis signat quod remos et vela navis sue ibi obtulit.

18-27 Arn. 8.3.

25 prope] propter

CAPITULUM V.

Dum Theseus sorte mitteretur in Cretam ad confligendum cum Mynotauro, ex mandato patris sui Egei habuit in navi sua nigra vela; precepit ergo pater ut si Egeus hospes reverteretur quod ipsi cum eo erant alba vela in navi ponerent Thesei ad solacium dicti Egei, qui cotidie prospexit e turri si forte videri posset suum filium redeuntem. Sed Theseus et sui, post victoriam habitam de Minotauro, obliti sunt nigra vela mutare, unde Egeus cum vidisset suum navigium et vela non mutata credidit filium suum mortuum. Et ideo se statim in mare precipitavit. De nomine vero suo illud mare Mare Egeum vocatur.

1-9 PB 8.5.

CAPITULUM VI.

Cum Diana contra Oeneum regem Calidonie irasceretur quia diis aliis sacrificavit et non sibi, immisit aprum incredibilis crudelitatis et magnitudinis, qui non solum blada sed villas vastavit. Cuius oculi sanguine ||94r| micant et igne, riget horrida cervix, 'Et similes sete rigidis hastilibus horrent; Fervida cum rauco latos stridore per armos Spuma fluit, dentes equantur dentibus Indis, Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent; Hiis modo crescentes segetes proculcat in herba. . . . Sevit et in pecudes; non has pastorve canisve, Non armenta truces possunt defendere tauri. Diffugiunt populi, nec sese in menibus urbis Esse putant tutos, donec Meleager' [8.285-90, 296-9] cum duobus avunculis suis Flexippo et Toxeo, Castore et Polluce, Pirithoe et Theseo; aderat et inter alios Tegea Licei que alio nomine Athalante vocatur. Que inter omnis feram primo percussit et sanguinem traxit ab ea. Sed

4 ridet

12 adorat

23-26 MV[3] 6.23.

35-37 Cf. Walther, 13968.

45-47, 50-59 . . . funus PB 8.9

aprum tandem Meleager interfecit. Qui Athalante prefate puelle caput apri cum corio assignavit quia illa de eo primo cruorem extraxerat sagittando. Invidentes ergo avunculi Meleagri Flexippus et Toxeus de puella spolium rapuerunt. Meleager avunculos suos ergo occidit, puelle spolium redonavit. Quapropter mater sua ipsum mirabiliter interfecit quia fratres suos interfecerat.

Nempe cum Meleager natus esset, Cloto, Lachesis et Attropos sorores fatales que alias dicuntur Parce (quia nulli parcunt viventi) affuerunt pueri nativitati. De quibus, quia locus se ingerit, pauca loquar. Tria Fata Parcas appellamus per antifrasim, eo quod nemini parcant. Has Plutoni deputamus. Quarum una loquitur, altera scribit, tertia deducit fila. Secundum Homerum vero una colum baiulat, trahit altera, tertia rumpit. Has licet exceptrices et librarie Iovis sint, eo quod dii dispositiones ad effectum ducuntur, Plutoni tamen ob hoc ministras damus, eo quod earum officia manere maxime in terris videntur. Interpretatur autem Cloto evocatio, Lachesis sors, Attropos sine ordine, per que nomina tota humane vite innuitur dispositio. Evocantur enim primo homines de non esse in esse quando de matris utero procedunt in lucem. Deinde sors, qualiter cuique vivendum sit, sic succedit. Postremo vite finem importat. Que ideo sine ordine dicitur ||94v| quod nullam observans dignitatem, nulli parcens etati, indifferentur omnia trahit, unde quidam: 'Per ternas metas fatorum ducitur etas: Lachesis affatur sors vite que teneatur, Attropos immitis ad opus trahit omnia ditis.'

Per tres Parcas triplex rerum processus, scilicet principium, finis, et medium designatus est. Hec tres Parce Iovis et celitum dicuntur custodes librarie, quia Iovialia decreta custodiunt et ab omni mutabilitatis corruptela defendunt. Ipse etiam stilos eius dicuntur acuere cerasque componere hiisque concilium celeste dictaverit, quia sicut cuilibet rei future in mundo presto est suum principium, ita etiam executioni mandatur; finem quoque debitum recipit, sicut dispensatio divina disponit.

Cum igitur Meleager nasceretur affuerunt Parce que stipitem in igne conflagraverunt et vitam iam nati pueri tamdiu duraturam ordinaverunt quamdiu stipes ille esset duraturus. ' "Tempora" dixerunt "eadem lignoque tibique, O modo nate, damus." Quo postquam carmine dicto Excessere dee, flagrantem mater ab igne Eripuit ramum sparsitque liquentibus undis '[8.454-7]. Quem sic extinctum multis annis mater Testias reservavit et in ymis penetralibus domus abscondit; vixissetque Meleager quamdiu truncus ille integer permansit. Sed Testias mater eius, dolens fratres suos occisos per filium, stipitem in ignem decrevit proicere, ut sic filium proprium in vindictam fratrum suorum posset occidere. Pugnantem in ea igitur affectu duplici, materno scilicet et fraterno, tandem affectus fratrum prevaluit et stipitem in ignem posuit, filiumque per stipitis combustionem combussit dicens: ' "Ulciscor facio-

que nephas; mors morte pianda est, In scelus addendum scelus est, in funera funus; Per coacervatos pereat domus impia luctus"' [8.483-5]. Interea sicut stipes in igne cremabatur, sic Meleager in corpore cruciebatur. 'Inscius atque absens flamma Meleager ab illa Uritur et cecis torreri viscera sentit Ignibus, ac magnos superat virtute dolores. Quod tamen ignavo cadat et sine vulnere ||95r| leto, meret' [8.515-9]; utque crescit ignis in stipite, sic crescit dolor in eius corpore, donec igne languente, 'simul est extinctus uterque, Inque leves abiit paulatim spiritus auras' [8.523-4]. Mater tandem sero penitens, propria manu se peremit et regnum ad externorum manus involutum est. Infelix Oeneus pater Meleagri pulvere canitiem fedat vultusque seniles et spatiosum increpat evum. 'Nam de matre manus, diri sibi conscia facti, Exegit penas acto per viscera ferro' [8.531-2]. Sorores Meleagri eum indicabiliter deplorabant. 'Non michi si centum deus ora sonantia, linguis Ingeniumque capax, totumque Elicona dedisset, Tristia persequerer miserarum vota sororum' [8.533-5]. Que tandem in aves Meleagrides sunt mutate que adhuc omni anno, secundum Plinium, sepulcrum Meleagri frequentare dicuntur. Expositio:

Quod Testias mater Meleagri per stipitem igne combustum combussit filium verum fuit. Quia tale quid vidimus fieri diebus nostris. Et insuper homines absentes et in remotis constitutos audivimus cultellis vel sagittis occisos. Tanta vis est in arte magica ut demones compelli possunt ad faciendum homicidia. Quod sorores Meleagri mutari dicuntur in aves significat eas fugisse de patria festinanter post mortem fratris.

Achelous, qui et amnis dicitur, quia Naides dee marine non sacrificabant sibi sicut diis ceteris, eas mutavit in quinque insulas que modo vocantur Echinade. Expositio:

Mutatio dearum marinarum in insulas quinque significat quod Achelous, qui dicitur deus fluvialis, cum una esset insula per crebras allambitiones separavit eas, ingrediens quinque locis illius insule et sic de una facit quinque.

Achelous preripuit virginitatem Perimeles que fuit filia Ypodamantis; eam propulit in profundum maris e scopulo, sed miseratione Neptuni ad preces Acheloi in insulam sui nominis est mutata. Quod nichil aliud fuit nisi quod cum eam pater precipitasset e scopulo illa nando pervenit ad illam insulam, quia ibi salvata fuit. Et quia insula prius caruit nomine, a Perimele ||95v| puella nomen traxit. Vel Perimele submersa a patre suo Ypodamante sepulta est in illa insula que de nomine suo nomen traxit.

60-61, 66-68, 70, 73-75 PB 8.9.
74 Plin. *NH* 10.74.
80-81 Cf. Arn. 8.4.
94-96 Arn. 8.6.

CAPITULUM VII.

Cum Iupiter et Mercurius in humana specie mundum lustrarent, 'Mille domos adiere locum requiemque petentes' [8.628], sed tandem eos recepit paupercula casa que fuit Baucis et Philemonis, qui 'annis

1 PB 8.10.

iuncti iuvenilibus, in illa Consenuere casa paupertatemque ferendo Effecere levem; . . . Nec refert, dominos illic famulosne requiras; Tota domus duo sunt, idem parentque iubentque' [8.632–6]. Hii predictos deos alacriter susceperunt et apposita mensa eis pauperes cibos quales habebant voluntarie posuerunt. Nam 'super omnia vultus Accessere boni' [8.677–8]. Cum igitur in mensa cibaria propter deorum commestionem et pocula non minuerentur, sed potius augerentur, cognoverunt quod essent dii. Eis 'Unicus anser erat, minime custodia ville, Quem diis hospitibus domini mactare parabant; Ille celer penna tardos etate fatigat Eluditque diu. Tandem est visus ad ipsos Confugisse deos; superi vetuere necari' [8.684–8]. Tunc dixerunt: '"Dii sumus, meritasque luet vicinia penas"' [8.689]. Preceperunt ergo ut illi statim recederent et in montem irent. Cumque iussis deorum paruissent et iam prope montis cacumen essent, vident sub se omnia dimersa prope suam casa, que versa est in templum marmorium pulcherimum. Tunc preceperunt dii ut peterent ab eis quicquid vellent, quia illos solos in illa patria iustos invenerant. At illi petierunt esse sacerdotes templi per eos de novo facti, et quod ipsis diis placeret quod alter alteri non premoreretur, sed ut una ambo pariter possent mori, factumque est quod domus illa templum fit pulcherimum in quo Philemon et Baucis Iovi et Mercurio diutissime functi sacerdotio servierunt. Et cum satis diu vixissent, cum forte starent ante gradus templi et narrarent casus illius loci, uterque vidit alterum florere et in quercum mutari, que quercus multis seculis in illo loco steterunt, super quas senes ||96r| veteres serta posuerunt et eos scilicet Baucidem et Philemonem ut deos venerati sunt. Expositio:

Que scribuntur de hospitatione Iovis et Mercurii applica ad coniunctionem ipsarum planetarum, quas Baucis suscepit quia intellexit quando fieret et previdit grande diluvium futurum, unde dicitur monitus fugere in montem propter aquarum periculum. Quod Philemon et Baucis mutati finguntur in arbores, ideo est quia adhuc eorum viret fama sicut virent arbores, vel quia plantate sunt quercus ad eorum sepulcra, qui etiam moriebantur una die. Casa illorum versa est in templum quia ubi casa fuerat ibi ex post constructum est templum.

6–8, 9–11 PB 8.10.
32–36 Cf. Arn. 8.7.

5 dominos] duos | famulosque
9 in mensa] immensa

CAPITULUM VIII.

Protheus poterat se in diversas transmutare figuras. 'Nam modo se iuvenem, modo se videre leonem, Nunc violentus aper, nunc (quem tetigisse timerent) Anguis erat, modo se faciebant cornua taurum; Sepe lapis poterat, arbor quoque sepe videri, Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum, Flumen erat, interdum undis contrarius ignis' [8.732–7]; unde est illud: 'Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus?' De Protheo dicitur quod nisi ligatus responsa non dabat. Cuius rei figmentum, ut ait Servius, phisicam volunt esse rationem. Habet enim, inquit, in se homo libidinem, stultitiam, ferocitatem, et dolum. Que

6 Hor. *Epist.* 1.1.90.
7–14 MV³ 11.25.
8 Serv. *G* 4.399.

dum in eo vigent pars illa que vicina est divinitati non apparet, id est prudentia. Que tunc potest vires suas tenere, cum fuerint illa religata, id est cum quis omnibus carueret vitiis. Inde Protheum tunc legimus posse vaticinare et suscipere divinitatem, cum religata in eo fuerit cupiditas, silvestris asperitas, lapsus animi, aquarum mobilitati consimilis.

CAPITULUM IX.

Erisictonus deos spernebat et deorum numina, et nullam esse deorum potentiam predicabat. Hic quandam quercum ab antiquis consecratam Cereri in deorum contemptum temptavit profanere; de qua statim sanguis incepit fluere et arbor ipsa gemere videbatur. Nec tamen destit ab inceptis. Sed cum omnes socii sui obstupuissent, et unus inhibuisse securim ||96v| voluisset, Erisicton Thessalicus eum interfecit et arborem cepit cedere iterato. Et ecce 'Editus e medio sonus est cum robore talis: "Nimpha sub hoc ego sum, Cereri gratissima, ligno, Que tibi factorum penas instare tuorum Vaticinor moriens, nostri solacia leti"' [8.770-3]. Nec propter ista quidem destitit improbus ille lignum cedere, donec 'arbor Corruit et multam prostravit pondere silvam' [8.775-6]. Ceres igitur irata contra Erisictonem misit Famem in domum Erisictonis, que se per os eius et nasum et aures immisit et eum inflavit et recessit. Descriptio figure Famis, quamdiu quesitam 'lapidoso vidit in agro, Unguibus et duris vellentem dentibus herbas; Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore, Labraque cana situ, scabre rubigine fauces, Dura cutis per quam spectari viscera possent; Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis, Ventris erat pro ventre locus; pendere putares Pectus et a spine tantummodo crate teneri. Auxerat articulos macies, genuumque tumebat Orbis, et immodico prodibant tubere tali' [8.799-808]. Fames ergo in domum tyranni intrat nocte, 'Seque viro inspirat, faucesque et pectus et ora Afflat, ut in vacuis peragat ieiunia venis' [8.819-20]. Nec mora ille tanta fame arripitur quod etiam dormiendo comedere videbatur. Interea 'petit ille dapes sub ymagine sompni, Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat, Exercetque cibo delusum guttur inani, Proque epulis tenues nequicquam devorat auras; Ut vero est expulsa quies, furit ardor edendi, Perque avidas fauces immensaque viscera regnat. Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer, Poscit et appositis queritur ieiunia mensis, Inque epulis epulas querit; quodque urbibus esse, Quodque satis poterat <populo>, non sufficit uni; Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum. Utque fretum recipit de tota flumina terra Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit ampnes. . . . Sic epulas omnes Erisictonis ora prophani Accipiunt, poscuntque simul; cibus omnis in illo Causa sibi est, semperque locus fit inanis edendo' [8.824-36, 840-2]. Iam Erisicton ||97r| opes congestas a patribus ad satisfaciendum fami sue consumpserat, sed tamen semper fames accrevit, donec demisisset in viscera sua

1-7, 12-14 Cf. PB 8.11.

7 cedit

13 nasum] manus

25 in] et

28 ponitus

31 populo *add.*

omnes sensus suos. Tunc pre inopia vendidit filiam suam. Que ne opprimeretur a domino suo oravit Neptunum ut daret sibi formam aliquam qua posset evadere oppressorem. Fugit igitur ad maris litus induta veste vili, capillis sparsis. Quam dominus insequens vidit in virili specie, hamos fluctibus imposuisse quasi ad pisces capiendos. Cui dominus suus ait: '"O qui pendentia parvo Era cibo celas, moderator arundinis" inquit, "Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda Credulus et nullus, nisi fixus, sentiat hamos; Que modo cum vili turbatis veste capillis . . . . Dic ubi sit; neque enim vestigia longius exstant." Illa dei munus bene cedere sensit et a se Se queri gaudens, his est resecuta rogantem: "Quisquis es, ignoscas; in nullam lumina"' [8.855-9, 861-4] flexi partem ab hoc gurgite, nec quem vidi in isto litore, '"Me tamen excepto, nec femina constitit ulla'" [8.868]. Credidit ille et verso pede delusus abiit, et sua forma reddita est mulieri. Sed pater, ut sensit suam formam filie redditam, vendidit eam pre famis miseria sepe dominis alienis, sed illa 'Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus, abibat' [8.873]. At pater eius, cum omnis substantia defecisset, membra propria comedebat donec consumptus totaliter defecisset.

Achelous de se etiam narravit quod potuit se transformare, nunc in hominem, modo in anguem, nunc in taurum. Expositio:

De sanguine fluente de arbore et voce nymphe subtus audita et sunt possibilia fieri per artem magicam. De filia Erisictonis certum est quod in diversas se transmutavit figuras ut a dominis quibus vendebatur sic evaderet, nunc in habitu piscatoris, nunc in veste alia, fugiebat. Quotiens equa vel ales, bos aut cervus, abiit vel evasit, designat eam redemptam per amicos a dominis per talia animalia data in escambium pro ea.

De Acheloo sensus est quod se ||97v| mutavit in hominem quando voluit esse socialis. In anguem quando per tortuositatem se disposuit ad cautelas. In taurum quando manifeste monstrare voluit vires suas.

Explicit Liber Octavus

59-61 Arn. 8.8.

57 agnem

60 videbatur

LIBER IX

Liber nonus habet undecim fabulas principales. Prima est de Acheloo pugnante cum Hercule pro Deianira, et ut Achelous vertit se in formas varias, sed tandem ut taurum, et ut Hercules fregit sibi cornu et obtinuit Deyaniram. Hec fabula inchoat librum nonum sic: 'Que gemitus' [9.1]. In hac fabula tangitur quomodo Hercules domuit Ydram in Lerna palude ab hoc verbo: 'Ut vincas alios, Acheloe, dracones' [9.68].

Secunda fabula inducit Nessum vim parantem inferre Deianire, et Herculem transfigentem Nessum, et Deyaniram mittentem interulam venenatam Herculi, que fuit causa mortis Herculis, et incipit ab hoc loco: 'At te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor' [9.101].

Tertie fabule loco acta Herculis recitantur.

Quarta fabula inducit Herculem occidentem Licam, que tulerat sibi camisiam venenatam, et ipsum Licam in scopulum transformatum ab hoc versu: 'Ecce Lican trepidum et latitantem rupe cavata' [9.211].

Quinte fabule loco iterum recitantur acta Herculis alio modo quam habentur in Ovidio. Quia de diversis auctoribus sunt collecta.

Sextum capitulum huius libri nostri habet quintam fabulam in qua fit mentio de dolore matris Herculis in partu, et Galante ministra Alcmene mutata in mustelam per Iunonem, et incipit ab hoc verbo: 'Cum sic Incipit Alcmene' [9.280-1]. In hac fabula Lucina dea partus vocatur Ilithyia [9.283]. De Galante fabula sic incipit: 'Una ministrarum' [9.306].

Sexta fabula inducit Yolen nurum Alcmene narrantem qualiter Driopes soror sua versa sit in lothos arborem, et incipit ab hoc loco: 'Est lacus acclivis' [9.334].

Septima fabula habet Yolaum de sene renovatum in iuvenem et incipit ab hoc verbo: 'Compescuit omnem Res nova tristitiam' [9.396-7].

Octava fabula inducitur in septima de vaticinio Themis de bello Thebano et que ibi contingerent de Capaneo, Pollinice, Ethiocle, Oedippode, ||98r| Amphiorao, et ceteris perituris, et incipit ab hoc verbo: 'Que cum iurare pararet' [9.401] et cetera. In hac etiam fabula introducitur fabula de Calliroe et filiis suis mutatis de iuvenibus in viros robustos, vel de pueris in iuvenes ab hoc versu: 'Tunc demum' [9.413].

Nona fabula de murmure deorum contra Iovem cur non liceat cuilibet deorum renovare quem diligit, sicut Yolaus est renovatus, et responsis Iovis, et incipit ab hoc loco: 'Hec ubi faticano' [9.418].

Decima fabula inducit Myletum fugientem a facie Mynois in Asiam et construentem civitatem Miletum et generantem de Cyane nympha filia Meandri Biblidem et Caunum. De Mileto sic incipit fabula: 'Deionideque iuvente Robore Miletum' [9.443-4]. De Biblide et Cauno sic: 'Hic tibi, dum sequitur patrie curvamina' [9.450].

42 iuvente] vivente

Undecima fabula de Ligdo et Thelethusa et Yphi mutata de femina in virum. De Ligdo et Thelethusa incipit sic fabula: 'Proxima Gnosiaco' [9.669]. In hac fabula introducitur Ysis apparens Thelethuse mirabiliter et dans monita de prole quam paritura erat. De mutatione Yphis in femina fabule ab hoc versu: 'Mater abit templo' [9.786].

CAPITULUM I.

Achelous fluvius Calidonie Theseum, ut prefertur, recepit hospitio. Qui sub crinibus capitis sui unum cornu confractum deprehendisset, inquirere causam cepit. Qui respondit ei: '"Triste petis munus; quis enim sua prelia victus Commemorare velit? referam tamen ordine. Nec tam Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est, Magnaque dat nobis tantus solacia victor' [9.4-7]. Cepheus rex Calidonie filiam habebat pulcherimam nomine Deyaniram sororem Meleagri, de quo dictum est supra. Quam ego Achelous volui in uxorem ducere, voluit et Hercules eandem accipere in uxorem. Et facta est contentio inter me et ipsum, eo quod iactitabat se filium Iovis esse. Dixique illi: '"Nam <quod> te iactas Alcmena matre creatum, Iupiter aut falsus pater est aut crimine verus. Matris adulterio patrem petis; ||98v| elige, fictum Esse Iovem malis an te per dedecus ortum"' [9.23-6]. Igitur hiis auditis Hercules mecum pugnare cepit et tandem mole sua me oppressit. Tunc ego me in anguem converti, sed hoc nichil michi profuit. Tandem in effigiem tauri me mutavi. In specie ergo tauri congressus sum cum eo donec ipse cornua mea fixisset humo et dextera sua unum avulsisset. Sedque Deyaniram iure prelii conquisivit. Expositio:

Hercules cum Acheloo pro Deianira pugnavit, cui cornu dicitur confregisse. Achelous fluvius est Calidonie; Deianira quasi dei ampnis ira. Pro qua Deianira, id est pro dei ampnis ira, Achelous qui deus est aque Calidonie, id est ipsa aqua que et Achelous vocatur, adeo excreverat quasi iratus quod totam terram adiacentem occupavit et demersit, sed Hercules pugnavit, id est elaboravit ampnem a frugibus avertere. Et tunc quidem Achelous se mutavit in serpentem, id est per multas tortuositates se deflexit donec Hercules eum desiccavit. Postea se Achelous in taurum vertit, id est duos rivulos de mari cepit, sed alterum desiccavit, unde fingitur ei unum de cornibus confregisse quod sacratum fuit Copie. Nam terra illa reddita est copiosa quam occupaverat prius aqua.

Et hic est sensus huius fabule, prout patet plenius in eadem, ubi Hercules comparat Acheloum serpenti paludis Lernee, que, ut dicit ibidem, '"Vulneribus fecunda suis erat illa, nec ullum De centum numero caput est impune recisum, Quin gemino cervix herede valentior esset"' [9.70-2]. Ubi et Hercules sic subiungit: '"Hanc ego ramosam natis e cede colubris Crescentemque malo domui, domitamque perhemi"' [9.73-4]. Constat nempe Herculem laborasse circa desicca-

1-3, 6-9, 18 PB 9.1.
8 Cf supra, 8.6.
19-30 Arn. 9.1; cf. MV[3] 13.4.
37-40 Cf. Lact. in Stat. *T* 1.384.

11 quod *add.*
35 ego] ergo
36 domui] dominus

tionem Ydre, sed ubi unum caput obturaverat, mox pre aquarum copia duo capita eruperunt donec ignibus paludem artificiose desiccasset.

De contentione Herculis et Acheloi pro Deianira historicus ||99r| sensus est quod Achelous per cautelas voluit surripuisse Herculi Deianiram, et ideo dicitur in serpentem mutatus, sed tamen sua sapientia vicit astutiam Acheloi, qui fuit quidam dominus in Calidonia et habebat illic aquarum multarum possessionem. Qui postea convertit se in taurum, id est movit contra Herculem apertum bellum. Sed Hercules fracto uno cornu eius vicit eum, id est perempta altera parte sui exercitus eum ad deditionem compulit.

CAPITULUM II.

Cum Hercules Deyaniram puellam secum duceret et ad flumen veniens transire secure nequiret, Nessus gigas duplicis substantie, qui erat partim equus, partim homo, obtulit se ad transportandum Deianiram, ut sic Hercules pertransire posset. Sed Nessus, cum iam transisset cum puella voluit eam oppressisse. Hercules ergo, ut 'Coniugis agnovit vocem Nessoque paranti Fallere depositum "quo te fiducia" clamat "Vana pedum, violente, rapit? Tibi, Nesse biformis, Dicimus; exaudi ne res intercipe nostras. . . . Quamvis ope fidis equina; Vulnere, non pedibus te consequar." Ultima dicta Re probat et missa' [9.119-22, 125-7] sagitta venenata qua scilicet Ydram serpentem occiderat, Nessum Centaurum interfecit. Qui dum moreretur camisiam quandam sanguine suo per sagittam venenatam etiam intoxicatam intinxit et Deyanire quasi incitamentum amoris dedit, asserens quod quicumque camisiam illam indueret eam summe diligeret, et quod iratum maritum per hanc interrulam quotiens vellet reconciliare posset, si aliquando eum sibi contingeret irasci vel offendi. Parvo post elapso tempore Hercules Yolem Euriti regis filiam superduxit, et ipsam tantum diligebat ut se vestibus Yoles indueret et Yolem vestibus suis Hercules quandoque vestiret. Deianira cupiens Herculem sibi reconciliare camisiam sibi a Nesso traditam Herculi per Licam misit. Quam cum induisset venenum statim carnem eius usque ad ossa combussit, vestisque venenata eius carnibus sic inhesit quod amplius avelli nequivit. Tunc Hercules exclamavit et hiis verbis Iunonem ||99v| allocutus est gemebundis: 'Tollens ad sidera palmas, "Cladibus" exclamat "Saturnia, pascere nostris; Pascere, et hanc pestem specta, crudelis, ab alto, Corque ferum satia; vel si miserandus et hosti—Tu miserere mei—diris cruciatibus egram Invisamque animam natamque laboribus aufer. Mors michi munus erit; decet hec dare dona novercam!"' [9.175-81].

1-5, 11-22 PB 9.2.

CAPITULUM III.

Hercules Iovis filius et Alcmene fuit. Qui licet ab aliis esset invictus, a mulieribus tamen victus fuit et precipue ab Omphale regina, cui tan-

1-3 MV^3 13.1.

tum subiacuit pro amore quod eum mulierum coegit officia exercere. Quod Hercules strangulavit serpentes immissos sibi a Iunone significat quod vir fortis bene agendo falsum esse demonstrat quod invidiis de se detrectat. Per Iunonem enim gloria mundialis accipitur que viris bene incipientibus agere detrahit. Quod noctes geminantur in eius generatione signat omnia nocentia adversari ei qui virtutis querit gloriam. Duodecim labores Herculis magis ad animam pertinent quam ad corpus. Nec estimandum est eum plures sustinuisse, sed ideo duodecim labores ei assignantur quia duodecim signorum agnovit naturam. Docuit enim Athlas Herculem astronomiam, unde et fingitur Hercules celum sustinuisse ab Athlante susceptum propter videlicet traditam scientiam celi sibi. Hercules igitur quasi heroncelos, virorum fortium gloria interpretatur. Hic et Alcei nepos dicitur, unde et Alcides nominatur. Alche enim grece presumptio dicitur. Nam et Alcmenam matrem habet que salsum interpretatur. Nec mirum enim ex igne ingenii, ut ex Iove et ex presumptione, id est animositate, ut ex <avo> Alceo, et ex sale sapientie, ut ex matre Alcmena virorum fortium nascitur gloria. Que tamen a libidine superatur. Omphale enim grece umbilicus dicitur; libido autem in umbilico mulieribus dominatur. Ostenditur ergo quod libido etiam intimam domat virtutem. Cacus boves Herculis furatus <esse> dicitur et eos per caudam in speluncam tractos abscondisse, quem Hercules presso gutture interfecit, ||100^{r}| fumum et nebulam eructantem. Unde Hercules de fortitudine suarum manuum pompans dicit: 'Hiis Cacus horrendum Tiberino litore monstrum; Hiis iacet elisum.' Cacon igitur malum interpretatur. Qui ideo Herculis bona concupiscit, quia omnis malignitas virtuti contraria est. In spelunca absconditur, eo quod numquam malignitas libera frontis est. Sed Hercules, id est virtus, et malos interficit et sua vindicat. Cacus autem fumum et nebulam, que visui nocent, emittit, quia malitia occultas semper deceptiones molitur. Ideo et duplex dicitur quod malitia multiformis non simplex est. Triplici namque modo nocet malitia, aut evidenter ut potentior, aut subtiliter ut falsus amicus, aut occulte ut fur. Ideo et subtractos boves transversis ducit vestigiis, eo quod per avia abducuntur furta. De isto Caco tamen aliter sentit Servius. Cacus, inquit, secundum fabulam Vulcani fuit filius, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur; veritas tamen est hunc fuisse Evandri nequissimum servum ac furem. Qui ignem dictus est vomere quod igne agros vastabat; hunc soror sua eiusdem nominis prodidit, unde et sacellum meruit in quo ei per virgines Veste sacrificabatur.

Antheus gigas erat princeps Troianorum qui dicebatur filius Terre. Cui a matre collatum est ut quotiens terre accubaret vires reciperet duplicatas. Qua re comperta Hercules a terra eum elevans constrinxit ad mortem. Antheus implicandis explicandisque nexibus humi melius sciens, velut genitus matre Terra, ab Hercule victus est. Antheus itaque

8–14 MV^3 13.4.
14–25 MV^3 13.1.
26–27 Cf. *M* 9.198 in ed. Burmann.
27–41 MV^3 13.1.
36–41 Serv. *A* 8.190.
42–45 MV^3 13.2.
45–46 Solinus 24.3.
46–58 MV^3 13.2.

14 heroncelos] *MV^3*: ἡρώων κλέος
16 Alche] *MV^3*: ἀλκη
17 salsum] falsum | Nec mirum] Nimirum
18 avo *add.*
20 Omphale] *MV^3*: Ομφαλὴ
23 esse *add.*
27 Cacon] *MV^3*: Κακὸν
30 vendicat
36 adducuntur
38 quia

sub figura libidinis ponitur. Nam grece antion dicitur contrarium; ideo de Terra natus fingitur quia libido de carne concipitur. Denique tacta terra viridior et validior consurgebat, eo quod libido quanto ei caro consenserit, tanto surgit nocivior. Sed a gloriosa virtute, id est ab Hercule, superatur Antheus, a denegato sibi tactu terre ||100v| commoritur, altiusque elevatus materna nequit mutuari suffragia; quia dum carnalibus se quispiam denegaverit affectibus, mentemque ne carnalia appetat in altum sustulerit, victor statim exsurgit, unde Alcides dicitur et sibi divinum confecisse certamen, quia pretiosa et celestis pugna est que concupiscentia vitiisque conseritur. De qua in moralibus Plato: Sapientes, inquit, viri maiorem cum vitiis quam cum inimicis pugnam gerunt; unde et Hercules Alcestem liberasse dicitur ab inferno. Cuius fabulam supra descripsi. Hercules nempe, ut ait Servius, a prudentioribus mente magis corpore fortis inducitur. Adeo ut duodecim eius labores ad aliquid referri possint. Nam cum plura fecerit, duodecim tantum assignantur ei propter agnita duodecim signa.

Docuit enim Herculem Athlas astronomiam, unde et fingitur Hercules celum sustinuisse ab Athlante susceptum propter sibi videlicet scientiam traditam. Constat enim Herculem fuisse philosophum, et hec est ratio cur omnia monstra vicisse dicatur.

Quod Hercules traxisse ab inferis Cerberum dicitur, hec est ratio: quia omnes cupiditates et cuncta vitia terrena contempsit et domuit. Nam Cerberus terra est, id est consumptrix omnium corporum, unde et Cerberus dictus est quasi ceros beros, id est carnes vorans. De hoc superius habetur plenius. Idem et Ydram exustione interfecit. Fuit autem Ydra, secundum fabulam, serpens in Lerna palude Argivorum, cui uno ceso tria capita excrescebant. Sed constat Ydram locum fuisse in Italia evomentem aquas vicinam vastantes civitatem, in quo uno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns multa loca in circuitu exussit et sic aque clausit meatus. Nam et Ydra ab ydor, id est aqua, dicta est. Potuisse hoc fieri etiam Virgilius indicat dicens: 'Excoquitur vitium atque exudat inutilis humor.' Acheloi et alterum cornu fregisse et fractum Copie dedicasse dicitur, quod, ut aiunt, alterum eius alveum cuius eruptiones immodice agros obruebant exsiccaverit fertilemque reddiderit, unde et Ovidius: 'Nec profuit Ydre Crescere per ||101r| dampnum geminasque resumere vires' [9.192-3]. Sed et Hesperides Athlantis filie regis Affrice ortum habuerunt fertur spoliasse, de quibus hec data est fabula:

Hesperides Athlantis filie regis Affrice ortum habuerunt in quo erant mala aurea Veneri consecrata. Que Hercules, missus ab Euristeo rege, occiso pervigili dracone sustulit. Revera enim iuxta Servium nobiles fuerunt puelle, quarum greges abegit Hercules occiso eorum custode; unde mala fingitur sustulisse, hoc est oves. Nam oves mala dicuntur sicut et poma. Et malanomos dicitur pastor ovium. De hoc

56 Cf. Fulg. 2.7, 'mortalibus Plato.'
59-81 . . .reddiderit, MV^3 13.4.
59 Cf. supra, 7.8.
59 Serv. *A* 6.395.
71 Cf. supra, 7.7.
77 Virg. *G* 3.4.
82-104 MV^3 13.5.
87 Serv. *A* 4.484.

47 antion] anticu; *MV^3*: ἀντίον
70 ceros beros] *MV^3*: κρεοβόρος
76 ydor] *MV^3* ὕδωρ
89 mala] *MV^3*: μῆλα
90 malanomos] *MV^3*: μηλονόμος

tamen figmento subtilius sentit Fulgentius: Quatuor, ait, Hesperides dicuntur, que et Athlantis asseruntur esse sorores, scilicet Egle, Hesper, Medusa, et Fetusa, quas nos latine studium, intellectum, memoriam, et facundiam dicimus. De harum ortu aurea mala tollit Hercules, quia per hec ad philosophiam pervenitur. Primum namque est studere, secundum intelligere, tertium memorari quod intellexeris, quartum dicendo ornare quod memineris. Sane de nominibus appositis scrupulum lectori iniecerimus; Euristeum invenimus fuisse regem Grecie Persei generis, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi ut varia monstra superaret quibus perire posset, unde et Herculem merito Virgilius durum vocat, qui videlicet potuit sufficere ad complendum odium novercale. Athlantes vero tres fuisse legimus: unum gigantem qui fuit rex Mauritanie. Alterum Italicum patrem Maie de qua natus est Mercurius. Papias tamen dicit istum Athlantem regem fuisse Ethiopum, astrologie peritum, fratrem Promethei, qui viso capite Gorgonis versus est in saxum. Solinus: De ortis Hesperidum et dracone pervigili, ne fame licentia vulneretur fides, hec est ratio: Flexuoso meatu et vario mare fertur adeo sinuosis lateribus tortuosum, ut videntibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur. Itaque quod ortos appellavere circumdat, unde ||101v| pomorum custodes interpretantes instruxerunt iter ad mendacium fabularum.

Geryon quoque rex fuit Hispanie, qui ideo trimembris fingitur quia tribus prefuit insulis que adiacent Hispanie: Heliarte minori et minori et Ebuso. Fingitur habuisse canem bicipitem, eo quod terrestri certamine et navali plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, unde idem dicit: 'Nec me pastoris Hiberi Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit' [9.184-5]. Qui ideo fingitur ad eum olla erea transvectus, eo quod habuit navem fortem et ere munitam.

Caribdis etiam secundum fabulam femina fuit voracissima, que quia boves Herculis rapuit a Iove fulminatur et in mare precipitatur, unde et naturam pristinam servat. Nam sorbet universa, et secundum Sallustium ea egerit iuxta litus Tauromenitanum.

Legitur cum Hercules rediret cum armentis devicti Gerionis in Italiam quod ab Evandro tunc ibi regnante tandem susceptus est hospitio, cum et se filium Iovis dixisset et morte Caci virtutem suam probasset, et ab eodem Evandro pro numine habitus est et aram que maxima dicta est promeruit. Nempe hec sibi predixerat Apollo Delphicus in Ytalia fore futura. Hercules ergo, cum de suo armento ad sua sacrificia boves dedisset duobus senibus scilicet Pinario et Potitio, qualiter se coli vellet ostendit et mane sibi ac vespere sacrificari iussit. Perfecto igitur matutino sacrificio, cum contra solis occasum essent repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea, extis iam redditis. Unde iratus Hercules statuit ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis et complentibus sacra. Unde Pinarii dicti sunt a greco pinas, id est a fame.

91 Fulg. *Virg. Cont.* (ed. Muncker, 2.155; ed. van Staveren, 755).

100 Virg. G 3.4.

104-106 Papias, s.v. 'Atlas.'

106-111 Solinus 24.4-5.

112-115, 117-122 MV³ 13.6.

122 Sallust. *Hist. frag.* 4.37.Kr.; cf Serv. *A* 3.420.

123-141 MV³ 13.7.

93 Fetusa] *Fulg. et MV³*: Arethusa

97 post Sane *del.* ne

113-114 Heliarte . . . Ebuso] *MV³*: Belearicae majori, minori, et Pityusae

134 pinas] *MV³*: *πίνα*

128 forte

Legitur etiam in libris antiquis quod Hercules secum ad Ytaliam ingens ligneum poculum attulit quo in sacris utebatur. Quod ne carie consumeretur pice oblitum servabatur. Et ||102^r| sciendum quod in sacris Herculis nec servi intererant nec liberti, adeo ut Appius qui hec sacra transtulit in libertos et oculis caruisse, et intra annum legitur omnem familiam Pinariorum perdidisse. Et notandum quod secundum pontificalem ritum idem est Hercules qui et Mars. Nam stellam unam habere dicuntur. Sic Cibele in omnibus zonis esse creditur, ideo quia etiam mater deorum dicitur, quia cum omnibus eius est communis potestas. Item quod vulgus deos dixit Solem, Lunam, Plutonem, et Martem, ideo est quia hiis numinibus ubique gentium veneratio exhibeatur. Sed et Martem, Bellonam, et Victoriam venerabantur quia hii in bello utrique parti favere possint. Sed hoc dictum vulgare de paupere ingenio dicitur emanare. Sane Varro dicit omnes qui fortiter fecerunt Hercules esse vocatos, licet eos primo quadraginta tres enumeraverit. Hinc est quod legimus Herculem Tyrintium, Argivum, Thebanum, Libim.

141-152 MV^3 13.8.

CAPITULUM IV.

De morte Herculis. Hercules dum inter tormenta et carnis sue cruciamenta circuiens in monte Oeta gemeret, vidit Licam qui illam vestem venenatam a Deyanira tulerat. Quem mox corripuit et ter quaterque rotatum proiecit in mare Euboicum, qui in scopulum est mutatus et in eodem mari in forma humana dicitur apparere. Que naute adhuc Licam vocant, sed non audent ipsum tangere, unde Ovidius: 'Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alte Gurgite et humane servat vestigia forme, Quem, quasi sensurum, naute calcare verentur Appellantque Lican' [9.226-9]. Sed Hercules iam moriturus habuit in comitiva Philoctetem armigerum suum, qui cesis arboribus Oete piram struxit et minister fuit ad accelerandum flammam. Ob quam causam Hercules dedit ei arcum suum et sagittas, unde Ovidius: 'At tu, Iovis inclita proles, Arboribus cesis, quas ardua gesserat Oete, Inque piram structis arcum pharetramque capacem Regnaque visuras iterum Troiana sagittas Ferre iubes Peante satum, quo flamma ||102^v| ministro Subdita est' [9.229-34].

1-6 . . .tangere, cf. PB 9.3.

18 hiatus in ms.; cf. MV^2 *193.*

Res nota est quod cum Laomedon rex Troie fuit obsessus a rege ******, Hercules fuit ei in auxilium. Qui cum Herculi promissa noluit reddere, Hercules eum infestavit et devicit. Ex post cum Troia a Grecis obsideretur, Philoctetes armiger Herculis affuit cum sagittis Herculis, et inde dicitur quod est 'visuras iterum' [9.232] et cetera. Expositio:

Licas versus est in lapidem. Nempe pre stupore nimio penarum Herculis factus est quasi lapideus, vel quia ad lapidem est percussus et ibidem obrutus. Ceteraque narrantur de pena Herculis sunt historialia et inter cronicas computanda. Hercules super rogum impositus non alio vultu ardens iacuit quam si conviva iaceret. 'Inter plena meri redi-

mitus pocula sertis' [9.238]. Cumque consumptus esset ignibus Iupiter animam eius in celum rapuit et eum deificavit, ut ait Ovidius: 'Sic ubi mortales Tyrintius exuit artus, Parte sui meliore viget, maiorque videri Cepit et augusta fieri gravitate verendus. Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum Quadriiugo curru radiantibus intulit astris' [9.268-72]. Expositio:

Hercules in deum fingitur esse mutatus quia vivit semper per famam sue probitatis que numquam moritur, sed semper vivit; vel quia bonus fuerat et ideo raptus in celum, quo constat nichil nisi divinum ingredi posse.

CAPITULUM V.

Enumeratio quorundam actuum Herculis.

Hercules interfecit Busiridem regem Egipti, qui hospites ad se venientes solebat occidere et diis suis immolare, unde dicitur: 'Ego fedantem peregrino templa cruore Busirim domui' [9.182-3]. De iste materia videtur Orosius mentionem facere, ita dicens: Anno dcclxxv^o Busiridis in Egipto cruentissimi tyranni crudelis hospitalitas, et crudelior tunc fuit religio quando innocentum hospitum sanguinem diis scelerum suorum participibus propinabat.

Hercules vicit Antheum certamine palestrali, unde dicit: 'Sevoque alimenta parentis Antheo eripui' [9.183-4]. 'Alimenta ||103^r| parentis' dixit quia quotiens terre procubuit, que parens eius fuerat, totiens vires recepit duplicatas et reficiebatur.

Hercules vicit Gerionem regem Hispanie qui tricorpor fuisse fingitur quia trium erat regnorum vel insularum rex. Qui dives etiam fingitur fuisse in armentis, ob quam causam etiam pastor dicitur, unde dicit Hercules: 'Nec me pastoris Hiberi' [9.184]. De hoc refert Trogus Pompeius, libro xliiii^{to}: Pars Hispanie que ex insulis constat regnum fuit Gerionis. In hac tanta pabuli letitia est ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit pecora rumpantur. Inde denique armenta Gerionis, que illis temporibus sole opes habebantur, tante fame fuere ut Herculem ex Asia prede magnitudine illexerint. Porro Gerionem ipsum non triplicis nature, ut fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres <fratres> tante concordie extitisse ut uno animo omnes regi viderentur. Nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidissent amissa bello repetisse.

Hercules descendens ad inferos Cerberum tricipitem extraxit, unde dicit: 'Nec forma triplex tua, Cerbere, movit' [9.185]. Fabula superius exponitur satis plene; et Hercules taurum in Maratone monte domuit et domitus in templo Iunonis in Grecia sanctificavit, unde dicit: 'Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri?' [9.186]. Quidam tamen hoc applicant ad Acheloum cuius cornu fregit Hercules. Quidam dicunt quod Mynos sacrificaturus post victoriam Atheniensium postulavit

33-36 Cf. Arn. 9.2.

2-3 . . .immolare, cf. MV^2 157.
5-8 Orosius 1.11.2.
17-25 Justinus 44.4.
27 Cf. supra, 7.7.
31-37 Cf. Lact. in Stat. *T* 5.431.

22 fratres *add.*
31 ad Acheloum] ad chebum

Neptunum ut tale quid ei daret quod sacrificare digne posset. Cui Neptunus dedit taurum pulcherimum. Quem cum Mynos sacrificare nollet, cepit insanire taurus ille et totam terram eius devastare. Tandem eo veniens Hercules taurum et domitum in Marathonem montem transportavit. In quo monte postea fuit interfectus a Theseo.

Hercules constituit agonem aput Elidem civitatem de quadriennio in quadriennium celebrari in honorem Iovis. Quo ||103v| tempore illuc ab omni genere omnique etate currebatur, ubi quilibet pro virtutis prestantia premiabatur. Sumptus vero ad hec semper quatuor annis colligebantur intermediis, ne nimietas expensarum gravaret incolas regionis, et ne si diutius agon differetur oblivioni daretur, unde dicit: 'Vestrum opus Elis habet' [9.187].

Hercules fugavit Arpias ad insulas Strophades; fabula superius est exposita. Quidam dicunt quod circa Stimphalum fluvium aves quedam fuerunt que totam terram devastabant. Quas sonitu heris idem Hercules fugavit, unde dicit: 'Vestrum Stimphalides unde' [9.187].

Hercules occidit leonem in Parthenio nemore, unde dicit: 'Partheniumque nemus' [9.188]. Tres leones dicitur Hercules interfecisse, scilicet Nemeum, Cleoneum, et Parthenium, de quo agitur in presenti. Sed inter omnes leo silve Nemee immanior fuit et vastior, ita quod Hercules spolio eius se induit et illud ubique secum portavit.

Hercules vicit Amazones et retulit baltheum et arma regi finitimo, que Amazones rapuerant ab eodem, unde dicit: 'Vestra virtute relatus Termodoontiaco celatus baltheus auro' [9.188-9]. Termodon fluvius Cappadocie, dictus a rege Termodonte, dividit regnum Amazonum a regno finitimo. Amazones ergo flumen transeuntes Termodontem regem vicerunt et arma et eius baltheum sustulerunt. Qui multum dolens oravit Herculem, quem hospitio susceperat, quod baltheum sibi restitueret et arma sua. Que omnia Hercules devictis Amazonibus reportavit historia, tamen Trogi Pompei habet quod cum Orithia regno preesset Amazonum, <cui> preter singularem belli peritiam, quam habebat etiam castitatem in evum conservabant in tantum ut aliis gentibus esset maxime admirationi; huius virtute tanta gloria et fama addita est Amazonibus quod Herculi rex Euristeus, cui Hercules duodecim debebat stipendia, id est militie facta difficilia quasi impossibile, ||104r| imperaverit ut arma regine Amazonum sibi afferret, qui quasi ad inevitabile periculum destinatus, universam Grecie nobilem iuventutem contraxit novem longas naves preparans. Et licet haberet magnas secum vires ex improviso eas aggredi, tamen maluit et circumvenire.

Due tunc sorores regno preerant, Antiope et Orithia. Has Hercules mari advectus incautas inermesque, et pacis in curia, desides repente oppressit, nichil hostile tunc temporis metuentes. Multe itaque cese capteque sunt, que arma repentino tumultu sumpserant, et ob hoc facilem victoriam hostibus tribuerunt. Ibi capte sunt due sorores An-

45 Cf. supra, 1.30.
62-84 cum. . . Justinus 2.4.
63 cui *add.*

tiope que pacis negotiis intendebat domi. Nam foris Orithia bella gerebat. Hercules itaque Antiopes sororem maiorem in hoc bello cepit, nomine Menalippen. Theseus vero alteram cepit sororem, Ypolitem nominatam. Sed Theseus obtentam in premium captivam scilicet Ypolitem in uxorem duxit et ex ea genuit Ypolitum. Hercules vero post victoriam Menalippen Antiope sorori reddidit et pro ea in pretium redemptionis arma regine accepit. Atque ita functus imperio revertitur ad regem suum.

Hercules rapuit poma aurea de orto Hesperidum a pervigili dracone servata, unde dicit: 'Pomaque ab insompni non custodita dracone' [9.190]. Ista fabula supra exponitur singillatim.

Hercules Centauros domuit superbos, unde dicit: 'Nec michi Centauri potuere resistere' [9.191]. De istis fiet mentio infra cum perventum fuerit ad nuptias Pirothei.

Hercules aprum Archadie vastatorem interfecit, unde dicit: 'Nec tu Archadie vastator aper' [9.191-2]. Hic clare videtur quod multi fuere Hercules. Nempe istum aprum occidit Meleager, ut habetur superius. Sicque multa facta virorum fortium gloriosa Herculi ascribuntur.

Hercules domuit Ydram, unde dicit: 'Nec profuit Ydre Crescere per dampnum geminasque resumere vires' [9.192-3]. De hac habetur superius.

Hercules occidit Diomedem regem Tracie ||104v| qui equos suos pavit humanis corporibus, et eundem Diomedem dedit eisdem equis devorandum et eo devorato equos occidit, unde dicit: 'Quid, quod Tracis equos humano sanguine pingues Plenaque corporibus laceris presepia vidi, Visaque deieci, dominumque ipsosque peremi?' [9.194-6].

Hercules occidit Cacum, qui fuit fur ferocissimus latens in monte Aventino, et de spelunca ibidem ignes emittens et homines interficiens, de quo superius satis dictum est, unde dicit: 'Hiis Cacus horrendum Tiberino in litore monstrum'.

Hercules occidit leonem ferocissimum in Nemea silva, omnia circum locum devastantem. Cuius spolio se induit et ubique secum tulit, unde dicit: 'Hiis elisa iacet moles Nemea lacertis' [9.197].

Hercules extremam manum labori impositurus veniens versus occidentem ad domum Athlantis gigantis, quia celum capite suo sustinebat; pro eodem, ut respiraret, celum suo vertice supportavit, unde dicit: 'Hac celum cervice tuli' [9.198]. At alibi Ovidius: 'Firmior Herculea mundus cervice perpendit.' Huius expositio habetur supra. Martialis cecus: 'Si cupis Alcide cognoscere facta prioris, Disce: Libin domuit, aurea poma tulit, Peltatam Scitico discinxit Amazona nodo, Addidit Archadio terga leonis apro, Eripedem silvis taurum, Stimphalidas undis Abstulit, ab Stigia cum cane venit aqua, Fecundam vetuit reparari mortibus Ydram, Hespereas Tusco lavit in ampne boves.'

87 Cf. supra, 9.3.

89 Cf. infra, 12.4.

93 Cf. supra 8.5.

96 Cf. supra, 9.1.

106 Cf. supra, 9.3.

106-7 Cf. *M* 9.194, 198 in ed. Burmann.

115 Hic versus in editionibus nostris absit.

116 Cf. supra, 9.3.

116-121 Martial. 9.101.2-10.

112 suo] sicco

119 taurum] *Mart.*: cervum | undis] *Mart.*: astris

CAPITULUM VI.

Cum Alcmena Herculem esset paritura Iuno nitebatur partum impedire, septemque diebus et septemque noctibus cruciavit eam. At Alcmena advocavit Lucinam et Nixus, qui sunt duo fratres dii partus sicut Lucina. Sed ipsa Lucina, precorrupta a Iunone, ipsam plus impedivit quam expedivit. Ipsa vero Iuno in ara domus sedebat, que statuta ibi fuerat ad solvendum vota post partum, prout tunc temporis erat moris, habebatque manus coniunctas, scilicet digitos ||105r| inter digitos, quos quamdiu sic tenuisset tamdiu partus Alcmene impeditus fuisset. Galantis una ministrarum dum exit frequenter et intrat 'Sepe fores, divam residentem vidit in ara,' id est Iunonem, 'Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem' [9.310-1]. Que dixit Iunoni, O quecumque es, letare, quia domina levata est. Iuno hec audiens 'Exsiluit, iunctasque manus pavefacta remisit' [9.314]. At consequenter mox Alcmena peperit, Iunonem sic decepta. Galantis ergo letata, quia videlicet sic Iunonem deceperat, multum risit. Sed ridentem Iuno prensis capillis traxit et in mustelam vertit. 'Que quia mendaci parientem iuverat ore, Ore parit nostrasque domos, ut et ante, frequentat' [9.322-3]. Expositio:

Galantis versa est in mustelam que parit ore suo. Galantis fuit obstetrix que parturienti ascitit, que et verbis et carminibus suis parturientibus succurrebat, et ideo fingitur mutata in mustelam que revera partit ore.

19-22 Arn. 9.3.

10 divam] divinam

CAPITULUM VII.

Driope soror Yoles uxoris Herculis vim passa per Phebum deum cum filium peperisset et iuxta ripas eum circumportaret, brachiis flores de aquatica lotho collegit, ut parvulum quem gerebat oblectaret. Cum ecce subito de ruptura floris vidit sanguinem distillare.

Revera quedam nympha que Lothos vocabatur, dum obsceni Priapi libidinem fugeret et illam Lothum fuerat transmutata, unde Ovidius: 'Lothos in hanc nymphe, fugiens obscena Priapi, Contulerat versos, servato nomine, vultus' [9.347-8]. Driope ergo preterita, cum de loco vellet fugere, mutabatur paulatim in lothon arborem. Cumque Andremon vir eius et pater suus advenissent ad hoc spectaculum et vidissent eam iam a pedibus et sursum arborem factam preter faciem, que adhuc posset loqui, 'dum licet, oraque prestant Vocis iter, tales effundit in aera questus: "Siqua fides miseris, hoc me per numina iuro Non meruisse nephas; patior sine crimine penam; Viximus innocue; . . . Hunc tamen infantem ||105v| maternis demite ramis Et date nutrici, nostraque sub arbore sepe Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat. Cumque loqui poterit matrem facitote salutet Et tristis dicat: 'latet hoc in stipite mater." . . . Desierant simul ora loqui, simul esse; diuque

1-4 PB 9.14.

13 post iuro *del.* et

Corpore mutato rami caluere recentes' [9.369-73, 375-9, 392-3]. Expositio:

Driope decerpens frondes arboris lothos, quia vidit guttas arboris sanguineas (succus enim illius arboris sanguineus est), quasi fatua, sic obstupuit quod mente alienata est, unde fingitur mutata in lothon arborem. Cuius succus gustanti confert oblivionem, unde et arbor illa dicitur lothos a Lethe fluvio, qui interpretetur oblivio.

Quod Lothos nympha conversa est in arborem sui nominis signet eam semet demersisse iuxta illam arborem et ultra non comperuisse. Ob quam causam datum est nomen arbori lothos, que nomen antea non habebat.

Priapus a priasse dicitur, quod est redimere, id est membrum virile quia iacturam humani generis redimit; et dicitur deus ortorum et ortis preesse propter fecunditatem eorum, quia ortus numquam est sine fructibus. Hinc magna virilia gentiles fingunt, eo quod quasi herbam germinare facta. Idem est Belphegor. Iste natus in civitate Lampsaco, propter virilis membri magnitudinem inde expulsus est. Et ex post deificatus ut deus ortorum diceretur. De hoc Priapo dicit Oratius: 'Nam fures ipse coercet Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus, Ast importunas volucres in vertice terret Arundo fixa.' Et Virgilius: 'Et custos furum atque avium cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi.'

21-25 Arn. 9.4.
30-33 MV3 6.26.
33-36 Isid. *Etym.* 8.11.25.
36-38 Hor. *Serm.* 1.8.4-7.
38-40 Virg. *G* 4.110-111.

28 antea] ana
33 ipse] *Hor.*: dextra

CAPITULUM VIII.

Cum Yole uxor Herculis, post deificationem eius, nupisisset Yolao, iam seni, Hercules deficatus unicam Iunonis filiam, Heben nomine, in celo duxit in uxorem. Rogavit Hercules Heben coniugem suam, que dicitur dea iuventutis, que et se senibus cum vult facit iuvenes, quod Yolaum maritum uxoris sue faceret iuvenescere, ut sic matrem Alcmenam et filium suum et uxorem ||106r| suam melius posset defendere et tueri. Hebe ergo Yolao iuventutem pristinam redonavit, unde Ovidius: 'Ora reformatus primos Yolaus in annos. Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe, Victa viri precibus' [9.399-401]. Expositio:

Yolaus mutatus dicitur de sene in iuvenem, quia revera cum esset senex lascive se habens ad modum iuvenis lascive vivebat. Quod Hercules duxit Heben signat quod ubi gloriosus post facta memorabilia consequitur eternam famam, cui et iungitur tamquam uxori que dea iuventutis est. Quia virorum gloriosorum actus et opera quotiens occurrunt memorie posteriorum, vel lectione vel relatione, totiens iuvenescit illorum fama et memoria revirescit. Quia ut dixi dea iuventutis est et interpretatur iuventa.

1-7 . . . unde, PB 9.15.
10-11 Arn. 9.5.

1 nupsisset] inpressisset
8 primos] patrios

CAPITULUM IX.

Cum Hebe proposuisset iurasse quod numquam amplius talia dona daret qualia dederat Yolao, non est passa Themis, quia multa pericula

ventura erant bello Thebano per Capaneum, qui non posset vinci nisi per Iovem. Hec est Themis dea fatidica, de qua fit mentio supra in fabula Deucalionis et Pirre. Que et hic predicit de bello Thebano quod Capaneus miles optimus a nullo vinci poterit preter quam a Iove a quo fulminabitur; et qualiter Polinices et Ethiocles filii de Edippi regis sese mutuo interficerent; et qualiter Amphiaraus augur vivus ad infernum detruderetur, unde dicitur 'Subductaque suos manes tellure videbit Vivus adhuc vates' [9.406-7]. Et qualiter postea Alcmeon filius Amphiarai matrem occideret in ultionem patris: 'ultusque parente parentem Natus erit facto pius et sceleratus eodem' [9.407-8].

Iste Amphiaraus, cum vates esset et mortem suam presciret futuram in bello Thebano et ideo latere vellet, in furno se abscondit. Sed uxor eius Erifile pro aureo monili sibi dato ab Argia uxore Polinicis eum absconditum in furno prodidit. Qui ad bellum veniens a terra est absorptus; vel ut alii dicunt ||106v| fulmine periit. Alcmeon ergo filius eius in ultionem patris matrem occidit. Fegeus avunculus Alcmeonis eundem peremit in ultionem sororis sue ab eo interfecte. Tunc Calliroe filia Acheloi uxor Alcmeonis cum filios haberet adhuc impubes oravit Iovem ut cito faceret eos iuvenes quatinus patrem suum Alcmeonem vindicare possent. Qui per Iovem facti iuvenes Fegeum interfecerunt. Expositio:

Filii Calliroes mutati sunt de pueris in iuvenes ordine naturali, sicut adhuc fit cotidie, sicut de iuvene in virum, de viro in senem, vel certe tantam fortitudinem et audaciam ceperunt habere in pueritia quantam habuerant alii in iuventute, vel certe nimis pueriles fuerunt donec facti sunt iuvenes et tunc strenui apparuerunt.

Reparato Yolao in pristinam iuventutem fiebat murmur contra Iovem cur non aliis eadem dare dona liceret. Nam Aurora coniugem suum Titonum senem voluit renovari, Ceres amasium suum Iasiona, Vulcanus filium suum Erictonium, Venus paciscitur renovare annos Anchise. Sed tandem Iupiter inducens quod nullus potest fata mutare compescuit eos dicens, '"Me quoque fata regunt; que si mutare valerem, Nec nostrum seri curvarent Eacon anni, Perpetuumque evi florem Radamantus haberet Cum Mynoe meo, qui propter amara senecte Pondera despicitur, nec quo prius ordine regnat." Dicta Iovis movere deos; nec sustinet ullus, Cum videat fessos Radamanton et Eacon annis Et Mynoa, queri' [9.434-41].

4 Cf. supra, 1.32.

24-25 . . .senem, Arn. 9.6.

11 ultusque] vultusque

CAPITULUM X.

Biblis filia Mileti in fratris sui Cauni amorem illicitum exarsit, quorum mater erat Ciane filia Meandri; Apollo vero avus, quia pater erat Mileti, unde Ovidius; 'Biblis Apollinei correpta cupidine fratris; Non soror ut fratrem, nec qua debebat, amavit. Illa quidem primo nullos intelligit ignes, Nec peccare putat, quod sepius oscula ||107r| iungat'

[9.455‑8]. Sed tandem victa cupidine ex osculorum consuetudine dissimulare nequit, amplius quin literi scribat et patefaciat flammas suas fratri. Igitur 'Dextera tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram. Incipit et dubitat, scribit dampnatque tabellas, Et notat et delet, mutat culpatque probatque Inque vicem sumptas ponit positasque resumit. Quod velit ignorat; quicquid factura videtur Displicet' [9.522‑7]. Tandem sumpta audacia inter cetera, sic sibi scripsit: ' "(Sunt michi dii testes), ut tandem sanior essem, Pugnavique diu violenta Cupidinis arma Effugere infelix, et plus, quam ferre puellam Posse putes, ego dura tuli; superata fateri Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis. Tu servare potes, tu perdere solus amantem" ' [9.542‑7]. Caunus lectis tabellis improperavit initio dicens: ' "Dum licet, o! vetite scelerate libidinis auctor, Effuge!" ait, "qui, si nostrum tua fata pudorem Non traheres tecum, penas michi morte dedisses" ' [9.577‑9]. Caunus ergo sentiens sororem inextinguibiliter exardescere in amorem eius fugit a patria, unde dicitur: 'patriam fugit ille nephasque, Inque peregrina ponit nova menia terra' [9.633‑4]. Biblis hec audiens a pectore vestem diripuit et iam palam demens apparuit pro spe veneris inconcessa, et fratrem secutura fugit a patria, donec pererrando multas terras venisset ad fontem in quem conversa est, id est precipitavit se in fontem qui de nomine suo nomen traxit, vocatusque est fons Biblidis.

25‑26 precipitavit. . . Arn. 9.7.

18 Non] Nam

CAPITULUM XI.

Ligdus rex cum haberet uxorem nomine Teletusam ab eo gravidam et iam prope partum esset, dixit ei: ' "Que voveo duo sunt: minimo ut relevere dolore, Utque marem parias" ' [9.675‑6]. Quod si femina edita fuerit partu tuo, impero ut necetur. Igitur Teletusa, licet grave foret imperium viri sui, sustinuit fere usque ad partum. Cum ecce media nocte visa est in sompnis Ysis sibi assistere, cuius 'inerant lunaria fronti' [9.688], id est lune cornua quia ipsa Luna apud Egiptios esse putatur; et 'cornua cum spicis' [9.689] quia ipsa spiceam coronam portat, eo quod etiam apud Egiptios ipsa creditur esse regina frugum; 'cum qua latrator Anubis' [9.690] ||107v| apparuit, id est Mercurius quasi sine nube quia imberbis depingitur, quia responsa dat aperta sicut mentem sine barba est apertum. Qui ideo latrator dicitur quia in specie canis ibi adoratur, ideo quia nullum animal sagacius cane et nullus deus facundiorem Mercurio. Apparuit et cum istis sancta Bubastis, id est sacerdotissa, et deus Apis variis splendens coloribus, unde Ovidius: 'Sancta Bubastis variisque coloribus Apis' [9.691].

Iste est Apis qui fuit rex Argivorum, qui ex post transvectus in Egiptum cum ibi mortuus esset Serapis dictus est, quia archa in qua positus est grece soros dicitur; coniunctis soros et apis, O id est in E mutato. Apis apud Egiptios taurus est Serapi consecratus, qui singulis annis de Nilo exibat et gesticulatione sui corporis ventura predicebat.

1‑2 . . .esset, cf. PB 9.20.

12‑14 Cf. MV^2 42.

17‑23 Isid. *Etym.* 8.11.85‑6.

2 minimo] nimio

11 apta

19 soros (*bis*)] *Isid.*: σορὸς

Quem in Memphite precepta dantem centum antistites prosequebantur; huius ymaginem Iudei in deserto sibi fecerunt. Solinus de Api: Inter omnia que Egiptus habet digna memoratu precipue bovem miratur quem Apim vocant; hunc ut numen colunt. Est nempe insignis nota albe macule, que dextero lateri eius est ingenita ad modum lune corniculantis. Qui cum emerserit de profundo Nili necatur a sacerdotibus. Mox alter, non sine publico luctu, requiritur qui sit ei per omnia similis, quem centum antistites Memphis prosequuntur, ut incipiat ibi sacris initiatus sacer fieri. Qui statim dat responsa et omnia manifestantia de futuris maxime, si de consulentis manu cibum capiat. Pueri Apim gregatim sequuntur, et repente ventura precinunt. Bos femina semel in anno ostenditur illi que similes maculas habet. Que ut inventa et oblata est, ei statim eadem die neci datur. Natalem Apis Memphite celebrant iactu patere auree, quam statim proiciunt in gurgite Nili. Que solemnitas per septem dies agitur. Quibus diebus cum sacerdotibus cocodrilli habent quadam indutias nec attrectant lavantes in Nilo. Sed octavo die cerimoniis iam peractis, velut reddita seviendi licentia, resumunt solitam ||108r| atrocitatem.

Apparuit et Teletuse, cum Yside et Api, Osiris deus Egiptius qui fuit maritus Ysidis, gigas magnus frater Tiphonis, a quo fuit interfectus et membratim dilaceratus, quem uxor sua Ysis diu quesivit et tandem inventum salutavit secundum Iuvenalem. Secundum Ovidium numquam fuit inventus, unde dicit: 'Numquam satis est quesitus Osiris' [9.693]. Et vocatur ab Egiptiis deus sementifer; Ysis lingua egiptia terra appellatur. Fuit autem filia Inachi regis, Io dicta. Que de Grecia veniens Egiptios literas docuit et terram colore, unde et terram eius nomine appellaverunt et eam deam habuerunt. Apparuit et Esculapius etiam Theletuse cum Mercurio, Osiri, et Yside. Quem Ysis monuit ut mandata falleret viri sui et partum servaret, asserens quod auxiliaretur ei. Que cum iam peperisset nata est ei femina. Theletusa ut edocta fuerat, quia nullius rei conscius fuerat, preter nutricem mentita est se filium peperisse. Igitur gaudens 'vota pater solvit nomenque imponit avitum: Iphis avus fuerat; gavisa est nomine mater, Quod commune foret, nec quemquam falleret illo' [9.708-10].

Cum Iphis iam tertiumdecimum annum attigisset, pater proposuit desponsare Iphim, quem putabat filium, filie Dictei Thelestis que vocabatur Hiante. Unus tantummodo restabat dies post quam nuptie complerentur. Tunc mater Teletusa sibi metuens aram Ysidis complexa est cum Ifi filia sua dicens: '"Fer, precor" inquit, "opem, nostroque medere timori! Te, dea, te quondam tuaque hec insignia vidi Cunctaque cognovi. . . Memorique animo tua iussa notavi. Quod videt hec lucem, quod non ego ponor in ignem Consilium iussumque tuum est; miserere duarum, Auxilioque leva!" Lacrime sunt verbe secute' [9.775-7, 778-81]. Et ecce subito et imperceptibiliter Iphis, que femina nuper erat,

23-30 Solinus 32.17-21.
43 Juvenalis 8.29-30.
45-48 Isid. *Etym.* 8.11.84.

puer est, et 'vota puer solvit que femina voverat Iphis' [9.794]. Et sic 'conveniunt, potiturque sua puer Iphis Hiante' [9.797]. Expositio:

Iphis de femina mutatur in virum. Quod nichil aliud est nisi quod ||108v| muliebriter se prius habens deinde viriliter fecit, vel certe hermafrodita fuit, id est utriusque sexus. Sed discretio virilis sexus latuit in eo usque ad annum terciumdecimum ut prefertur.

68-69 . . .fecit, Arn. 9.8.

Explicit Liber Nonus

LIBER X

Liber decimus habet tredecim fabulas principales. Prima librum inchoat introducens Orpheum ducentem Euridicem in fausta hora et eum ad inferos descendentem pro uxore. In hac fabula tanguntur fabule de Tantalo, de Yxione, de Tytio, de Belidibus, de Sisipho, versibus continuatis ab hoc loco: 'Nec tibi.'

Secunda fabula narrat Euridicem Orpheo redditam ea lege: 'Ne flectat retro sua lumina donec Avernas Exierit valles' [10.51-2]. Sed lege violata Orpheum iterum coniugem amittentem. In hac fabula tangitur de quodam mutato in saxum quia vidit Herculem trahentem ab inferis Cerberum [10.65-7]. Et alia fabula de Oleno et Lethea mutatis in lapides a Iunone ab hoc versu: 'Quique in se crimen traxit' [10.68] et cetera.

Tertia fabula de Cibele matre deorum et Ati, quem mutavit in pinum, introducitur in hoc versu: 'Et succincta comas' [10.103].

Quarta fabula narrat puerum Ciparissum mutatum a Phebo in cipressum arborem, et incipit ab hoc versu: 'Affuit huic turbe' [10.106].

Quinta fabula inducit Orpheum modulantem de raptu Ganimedis filii regis Frigie ab hoc loco: 'Rex superum quondam' [10.155].

Sexta fabula de Phebo et Iacincto qui mutatus est in florem sui nominis, que incipit ab hoc versu: 'Te quoque, Amiclide' [10.162]. Amiclidem vocatur quia de Amiclis erat. Vocatur etiam Tenarides [10.183] a loco scilicet Tenare; vocatur et Ebalides [10.196].

Septima fabula narrat Amathusiades sacrificantes hospites suos Iovi et ideo mutatos in boves, que sic incipit: 'At si forte roges' [10.220].

Octava fabula narrat Propetides contempsisse deam Venerem et ideo mutatas in silices, et incipit ab hoc versu: 'Sunt tamen obscene Venerem' [10.238], et cetera.

Nona fabula de Pigmalione faciente statuam eburneam que versa est in feminam, que sic incipit: 'Quas quia Pigmalion' [10.243]. In ||109r| hac Pigmalion vocatur Paphius [10.290] a Papho, quem dicitur genuisse de statua, a quo insula Paphos nomen habet.

Decima fabula de Mirra et Cinara patre suo, quem Mirra amavit turpiter et ideo versa in arborem mirram, incipit ab hoc versu: 'Editus hac ille est, qui si sine prole fuisset' [10.298] et cetera. Infertur etiam in hac fabula de Ycaro et Erigone versis in stellas in hoc versu: 'Nox caret igne suo' [10.450]. Tandem inducitur qualiter Mirra peperit Adonidem ab hoc versu: 'Arbor agit rimas' [10.512].

Undecima fabula narrat Adonidem placuisse Veneri, sed tandem interfectum ab apro, in florem ab Venere fuisse mutatum, et incipit ab hoc versu: 'Iam placet et Veneri' [10.524].

Duodecima fabula de Athalanta et Ypomene cursu certantibus et postea versis in leones. Incipit ab hoc versu: 'Forsitan audieris' [10.560].

5 'Nec tibi'] Haec verba in editionibus nostris absunt; cf. *M* 10.43: 'Nec Tantalus.'

Tertiadecima fabula narrat mortem Adonidis ab hoc versu: ‘Forte suem latebris’ [10.710]. In hac inducitur fabula de Persephone mutante socias in olentes mentas in hoc verbo: ‘An tibi quondam Femineos artus in olentes vertere mentas’ [10.728-9].

CAPITULUM I.

Cum Orpheus vates summus inter vates musicos et filius Phebi et Calliopes accepisset Euridicen in uxorem, et ipsa cum sociis suis quadam die flores colligeret, accidit quod serpens ipsam in pede momordit, unde statim mortua fuit, unde Ovidius: ‘Occidit in talo serpentis dente recepto’ [10.10]. Quam cum Orpheus apud superos deflevisset diutissime, descendit ad inferos per portam Tenaream, unde dicitur: ‘Ad Stiga Tenarea est ausus descendere porta’ [10.13]. Ibi cithara tacta cantabat hec carmina: ‘“O positi sub terra numina mundi, In quem recidimus quicquid mortale creamur”’ [10.17-8], ‘“Non huc, ut opaca viderem Tartara descendi. . . . Causa vie est coniunx in quam calcata venenum Vipera diffudit crescentesque abstulit annos”’ [10.20-4]. ‘“Per chaos hoc ingens vastique silentia regni, Euridicem, oro”’ [10.30-1] michi reddite. ‘“Omnia debentur vobis, paulumque morati Serius aut citius sedem properamus ad unam. Tendimus huc omnes. . . . Hec quoque’ ”—scilicet Euridice—‘ “cum iustos matura ||109^{v}| peregerit annos, Iuris erit vestri; pro munere poscimus usum”’ [10.32-4, 36-7], scilicet Euridices. ‘“Quod si fata negant veniam pro coniuge, certum est Nolle redire michi; leto gaudete duorum.” Talia dicentem, nervosque ad verba Exsangues flebant anime; nec Tantalus undam Captavit refugam, stupuitque Yxionis orbis’—id est rota—‘Nec carpsere iecure Titii volucres, urnisque vacarunt Belides, inque tuo sedisti, Sisiphe, saxo’ [10.38-44].

De Tantalo fabula est quod quia revelavit secreta divina ita punitur apud inferos quod nec poma superpendentia nec aquas potest apprehendere subterfluentes.

Yxion, quia Iunonem de stupro interpellavit, continue volvitur in rota.

Prometheus, quia ignem de rota solis furatum ori suo inspiravit, extensis apud inferos a vulturibus iecur habet corrosum. Servius dicit quod Prometheus, post factos a se homines, dicitur a poetis auxilio Minerve celum ascendisse et adhibita facula ad rotam solis ignem furatum fuisse. Ob quam causam irati dii duo mala immiserunt terris, scilicet mulieres et morbos, et ipsum Prometheum dii per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum, et adhibita est ei aquila que eius cor exederet; hec ex magna ratione finguntur. Nam Prometheus fuit vir prudentissimus, unde etiam Prometheus dictus est a prudentia. Qui homines fecisse dicitur quia de rudibus et indoctis subtiles fecit et doctos. Nam hic primus Assiriis astrologiam indicavit, quam nimia cura et

44 sue

1-4 . . .fuit, PB 10.1.
23-25 MV^3 6.21.
26-27 MV^3 4.6.
28-46 Cf. MV^3 10.10.
29 Serv. *E* 6.42.

12 chaos] canos
33 mulieres] *MV^3*: macies
36 prudentia] *MV^3*: dictus a graeco *προμήθεια*, id est providentia

solicitudine providerat residens in monte altissimo Caucaso, qui mons positus est circa Assirios, et est vicinus pene sideribus, unde et maiora astra ibi demonstrantur. Dicitur autem aquila cor eius exedere propter atrocitatem eius solicitudinem per quam ille omnes defectus et motus syderum deprehenderat. Et quia hec per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentie et rationis deus esse inter paganos creditur, ad saxum dicitur religatus. Deprehendit preterea rationem fulminum et hominibus indicavit, unde celestem ignem ||110r| dicitur esse furatus. Alio modo quidam narrunt fabulam de Prometheo videlicet quod ope Minerve usus est hominemque ex luto fecerit, sed tamen inanimatum et insensibilem. Cuius opus Minerva mirata, spopondit ei quicquid vellet de donis celestibus ad opus suum iuvandum. Ille se minime scire dixit que bona haberentur in celestibus. Sed si fieri posset ut se usque ad superos elevaret, sciret ideo que petiit, ut quid operi suo congrueret cerneret et eligeret. Tunc illa eum clipio suo impositum in celum detulit. Illic dum videret corpora celestia flammatis animata vegetari vaporibus, clanculum feni faculam rote Phebi applicans, ignem furatus est. Quem pectori hominis applicans animatum reddidit corpus. Denique ligatum ferunt eum vulturi iecur perenne prebentem. Testatur Petronius Arbiter Prometheum primum ydolum formasse et ob hoc vulturi iecur prebuisse, eo quod invidi eum dente detractionis momorderunt. Fulgentius vero Prometheum dei providentiam asserit interpretari; Minervam vero celestem esse sapientiam; divinum ignem animam intelligi. Divina ergo providentia Pallade inspectante, quod dea est sapientie, id est sapienter hominem formans, ei ut viveret animam esse necessariam vidit. Quam ei velut de celo tractam divinitus inspiravit. Merito autem et a sole faculam accendit, quia cum secundum phisicos ab aliis planetis alia accipiamus, a sole vitam habemus. Vulturem vero eius iecur carpentem in figuram mundi volunt accipi, eo quod celeri mundus quadam volucritate vertitur, et cadaverum nascentium occidentiumque perennitate depascatur. Denique et facto homine Pandoram formasse. Pandora enim grece omnium munus interpretetur, eo quod anima omnium munus sit generale.

Belides, quia maritos suos occiderunt, cum urnis aquam deferentes dolium sine fundo implere laborant. Harum historiam tangit Orosius libro primo dicens quod Danaus habuit quinquaginta ||110v| filias et Egistus filios quinquaginta, et nupserunt simul et occiderunt filie Danai, instinctu patris earum, filios Egisti nocte una.

Sisiphus observans viam iuxta mare homines transire volentes, coegit osculari pedes suos dum residebat in saxo suo eminentissimo. Et mox eos incautos precipitabat in mare. Tandem idem passus ab Hercule cogitur apud inferos contra arduitatem montis saxum volvere, quod in summo montis existens, retro labitur et ita pene eius est perennis; de his habetur explanatio in premissis.

47-71 MV[3] 10.9.
58 Petronius, ed. Burm., 671-2.
60 Fulg. 2.9.
73-76 Orosius 1.11.1.
82 Cf. supra, 1.30.

65 faculam] fabulam
69 occidentiumque] morgentiumque | ficto

CAPITULUM II.

Cum Orpheus cantu liraque sua demulsisset infernales furias et pacasset umbrarum divinos, decreverunt Erudicen Orpheo reddendam sed cum tali lege tamen ne retro se aspiciat ad videndum eam donec infernales valles omnino pertransisset, unde Ovidius: 'Hanc simul et legem Rodopeius accepit Orpheus, Nec flectat retro sua lumina donec Avernas Exierit valles, aut irrita dona futura' [10.50-2]. Sed Orpheus, cum iam prope esset in margine terrene uxor deesset 'metuens, avidusque videndi, Flexit amans oculos et protinus illa relapsa est' [10.56-7]. Et ita secundo Orpheus perdidit uxorem suam. Hic tangit duas fabulas, sed breviter; una est de eo qui vidit Cerberum extractum ab inferis per Herculem et conversus est in lapidem pre stupore, unde dicit de Orpheo quod 'non aliter stupuit' [10.64] amissa iam coniuge. 'Quam tria qui timidus, medio portante cathenas, Colla canis vidit, quem non pavor ante reliquit, Quam natura prior saxo per corpus oborto' [10.65-7]. Item tangit de Lethea et Oleno viro suo. Iste Olenus cum uxor eius Lethea languore diutino premeretur, quia se deabus pretulerat, pietate motus Olenus peccatum uxoris in se retorsit, illam excusans et dicens se potius in culpa esse quam uxorem, unde Iupiter iratus mutavit utrumque in lapidem. Expositio istarum duarum fabularum:

Quidam qui Cerberum vidit ab inferis extractum per Herculem mutatus est in lapidem pre stupore. ||111r| Revera Hercules sapientissimus cum de Cerbero prius ignoraretur eum ab inferis traxisse, dicitur dum manifeste ostendit eum esse terram tripartitam. De quo cum quidam philosophus tractare subtilius voluisset, et vidisset se post Herculem nichil tam philosophicum posse dicere, stupore percussus scribere destitit, unde fingitur mutatus esse in lapidem. Olenus et Lethea uxor eius, quia deos contempnebant, sensum amiserunt et fatui devenerunt, unde finguntur mutati in lapides.

Cum Orpheus septem diebus iuxta descensum inferi merens sedisset deflens coniugem, et nil profecisset per tres annos, ex post omnem venerem fugit feminam. Tandem dicitur de illo quod 'Ille etiam Tracum populis fuit auctor amorem In teneros transferre mares' [10.83-4]. Expositio omnium premissorum de Orpheo:

Orpheus primus deprehendit quot sunt discrimina vocum et illarum armoniam, unde Apollinis et Calliopes filius meruit appellari. Fuit autem vir maximus tam ingenii claritudine quam eloquentie suavitate prefulgens. Sacerdos dictus quia theologus fuit, et organa primus instituit. Et homines irrationabiliter viventes rethorica dulcedine ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos, et ex vagis durisque composuit, unde et bestias, volucres, fluvios, saxa, et arbores movisse dicitur. Sic et Amphion Thebarum conditor et ipsa oratoria facultate eximius cantu lapides, ut sponte coeuntes murum conficerent, fingitur illexisse; eo quod stupidis antea hominibus et iuris ignaris dispersisque de genti-

20-26 Arn. 10.2.
26-28 Arn. 10.3.
34-35 MV3 8.19.
35-62 MV3 8.20.

14 oborto] abortor
37 organa] *MV3*: orgia
43 antea] ante

bus, ut convenirent ad puplicam tuitionem et menia constituerent, melliflua persuasione persuasit.

Sane Orpheus optima vox interpretetur, qui Euridicen amavit et sono demulcens cithare duxit uxorem; hanc dum quidam Euristeus pastor amans sequeretur, fugiens in serpentem incidit et mortua est taliter. Orpheus optima vox interpretatur ut prediximus; Euridice profunda diiudicatio. Hanc Orpheus, id est quivis musice operam dans, sibi coniungi optat et cithara illectam ducit uxorem. ||111v| Quia qui musice studet, nisi secretiorem artis ipsius profunditatem comprehenderit, musicus esse non potest, sed artem crebra et artificiosa vocis modulatione tandem assequitur. Hec vero scientie altitudo quamvis ab optimis ametur, sicut ab Euristeo (euristion enim grece optimum dicitur), tamen communionem hominum renuit; sicque serpentis ictu moritur, quia nimie subtilitatis sue impercepto secreto, velut ad inferos transmigrat. Sed post hanc artem exquirendam atque elevandam descendit, et ne eam respiciat prohibetur, et dum videt amittit. Nam et perfectissimus Pictagoras dum in musicos inquisitione laboraret, simphoniasque ponderum ac numerorum proportionibus coaptaret, effectus tamen rationem reddere non valebat.

De hoc figmento Remigio videtur alius intellectus. Ait enim Erudicen ideo Orphei dictam esse coniugem, quia facundie comes dicitur esse discretio. Ipsa vero serpente lesa ad infernum descendit, cum terrenis inhiando commodis veneno iniquitatis ad sinistram partem flectitur. Sed Orphei carminibus ad superos revocatur, cum luculenta oratione lucri stimulis ad equitatem reformatur. Sed si respicit, retrahitur ad terrena, nec oranti Orpheo redditur. Nam cum terrenus animus secularia nimis concupiscit, vix eum aliqua oratio ad statum rectitudinis erigit, quia a Proserpina, id est maxima vitiorum, tenetur illecebra. Alia expositio pro tota fabula:

Orpheus dictus est quasi ore phonos, id est ore sonans. Qui pro sapientia sua dictus est Apollinis filius, id est sapientie, et pro musica et sonoritate sua filius Calliopes, que dicta est Calliope quasi callophone, id est bona sonoritas. Iste Euridicen duxit que interpretetur profunda diiudicatio. Sapiens nempe profunde diiudicationi adheret cum de rebus subtilissime diiudicat; uxor vero, id est diiudicatio, a serpente invenenata, id est fallacia huius seculi decepta est cum bona eius transitoria et falsa durabilia et vera esse diiudicat, et ob hoc descendit ad inferos, id est ad vitia declinat. Quam maritus suis sequitur ||112r| ad inferos cum ad vitia non tantum cogitatione, sed etiam opere divertit. Sed ibi cantando, id est inter vitia de vitiis et virtutibus disputando secum uxorem suam, id est diiudicationem que prius vitia tenenda diiudicaverat, ab inferis, id est vitiis que inferiora sunt virtutibus, erigit ad virtutes. Sed quia retro aspexit ad vitia, iterum uxorem suam, id est diiudicationem, ad vitia relaxatam amisit. Quam cum

63-71 MV[3] 8.21.
63 Remigius, 9.480.19.
73-96 Arn. 10.1.

47 quidem | Euristeus] *MV*[3]: Aristeus
51 sibi] sic
55 Euristeo] *MV*[3]: Aristeo | euristion] *MV*[3]: *ἄριστον*
75 dicta] dea

vellet sequi iterum ad inferos, vitiose operando prohibitus est a ianitore infernali. Considerato igitur quam infelicissimus esset ad vitia introitus, intrare abhorruit. Sed in montem ascendens, id est ad virtutes ad quas est ascensus, sicut ad vitia descensus, cantu suo, id est sua predicatione, feras, id est feros homines, mitigavit, bruta animalia mansuefecit. Mulieres etiam viventes muliebriter videlicet ut vitiosos vilipendit et ad mares amorem suum, id est viriliter agentes transtulit, unde mulieres eum, quia de suo fugit consortio, lapidibus occiderunt, id est luxuriose, quia mulieres promptiores sunt in libidinem quam viri.

CAPITULUM III.

Cibele mater deorum amavit Atim puerum speciosissimum. Qui cum promisisset ei numquam aliam sponsam accepturum, fidem frangens concubuit cum Gangaride nimpha. De quo facto cum a Cibele pluries increparetur, in satisfactionem puer sibimet prescidit genitalia. Cui compatiens Cibele ipsum in pinum mutavit. Ob quam causam pinus specialiter est in tutela eius, et ei peculiarius dedicatur. Expositio:

Cibele, id est Berecinthia, que et mater deorum dicitur, ipsa est terra que dicitur Cibele quasi cubele, quia firma est et solida, a cubon quod est solidum, unde et in aritmetica etiam cubici numeri dicuntur, id est solidi, et cubitus qui est firmior pars lacerti.

Berecinthia dicitur <non> a Berecintho monte ut quidam volunt, sed Berecinthia quasi verecinthia. Cinthos enim grece terra; attica dicitur flos. Inde terra ||112v| verecinthia, id est vere florida, quasi que magis floribus abundat. Mater quoque deorum dicitur esse terra quia terreni homines quosdam de hominibus deos esse finxerunt pro timore, unde est illud: 'Primus in orbe deos fecit timor.' Atis quidam flos est pulcherimus quem Cibele, id est terra, plus ceteris dicitur dilexisse quia plurimum pulcritudinis ei contulit. Quem castrando semimasculum reddidit, id est marcidum, quia flos marcidus nec omnino non flos est, sicut semimasculus nec omnino vir, nec omnino non vir. Deinde de flore mutatus est in pinum arborem fructiferam, quia non est flos ille sine utilitate, immo fit de illo quedam tinctura; vel dicitur flos ille in pinum esse mutatus quia potius crescit inter pineta quam alibi. Alia expositio de Cibele:

Cibele uxor Saturni mater deorum decernitur; hanc Greci vocant Ream vel Cibelem vel Berecinthiam; Latini vero Opem appellant. Ops vero idem sonat latine quod grece Rea. Hoc autem nomen ex eo sortita est quod esurientibus frugum largitione opitulata sit. Berecinthia vero quasi montium domina, et mater deorum quia dii pre superbia dicti sunt; qui dicuntur in Olimpho habitare quia celsitudo Olimphi pro superbia accipitur. Berecinthia Greci quasi vernicinthos dixerunt. Cinthos enim lingua attica flos nuncupatur, unde et Hiacinthos dicitur quasi solis flos. Iacinthus enim flos solis quasi aliis perfectior

1-6 Cf. PB 10.5.

7-24 Arn. 10.4; cf. MV[3] 2.2-3.

16 Cf. Petronius, *Sup. Satyrici*, frag. 27.1.b; Stat. *T* 3.661; Fulg. 1.1.

25-31 . . .accipitur, MV[3] 2.1.

31-49 MV[3] 2.2.

3 Gangaride] *PB*: gagantide; *Ovid. F 4.229*: Sagaritide

11 non *add.*

12-13 Cinthus . . . flos] *MV*[3]: *κύνθος* enim lingua attica *flos* nuncupatur.

31 vernicinthos] merecinthus

32 Cinthos, Hiacinthos] *MV*[3]: κύνθος, ὑάκυνθος

34 solis (*bis*)] *MV*[3]: solus

estimatur. Accipitur autem Berecinthia in modum potentie, undeet Cibele dicitur, id est glorie firmitas, unde et Homerus: 'Cui gloriam Iupiter donaverat.' Ideo cum turrita corona pingitur quia omnis potentie elevatio est in capite. Ideo multiplici veste fulget et varia et leonibus currum suum trahentibus utitur, quia omnis potentia ornata est, et ipsi terribili virtuti etiam donatur. Sceptrum fert, quod regno vicina sit omnis potestas. Mater deorum dicitur quia apud antiquos dii, sive demones sive indigetes, a divitiis dicti sunt. Divitum autem mater est potentia. Hec autem Atim puerum formosissimum amasse dicitur, quem nimio zelo succensa ||113r| castravit. Quia potentia gloriosa semper suorum maximorum familiarium et amore torretur et livore torquetur, citoque abscindit quod diligit, dum tamen amputat illud quod odit. Omnis enim nunc usque potentia circa suos diuturnum nescit servare affectum. Ideo et Atin dicitur quasi eton. Etos enim grece consuetudo dicitur. Ergo quantuscumque sit amor in potentibus, stabilis esse non novit. Alii vero dicunt quod Ops Saturni coniunx grandeva dicitur et corpulenta mater, eo quod ipsa est terra omnium procreatris; corpulenta quod elementum terre crassius et corpulentius est ceteris. Vestem habet discolorem, gemmis metallisque ornatam. Hec enim in visceribus terre vel arenis colliguntur. Sed et in superficies terre herbarum et florum varietate vestitur. Hec et Cibele quasi Cubile dicta est. Terra enim nichil solidius in elementis. Cubum namque solidum dicimus, unde et solidos numeros cubos vocamus; vel secundum quosdam Cibele a greco dicitur quod latine sonat rotatio capitis, quod in eius sacris Gallos scilicet sacerdotes ipsius exercuisse commemorant. Galli nempe sacerdotes matris deorum vocabantur et erant sic dicti quia mos erat eis castrari apud Frigiam, qui omnia turpissima perpetrabant. Alii dicunt quod Alma parens deorum; Tellus dicitur Alma ab eo, quod nos alit. Abusive tamen quia et aliis numinibus hoc epitheton damus. Epitheton est supranomen. Preponitur enim proprio nomini, ut Alma Ceres, obscenique canes, dira Celeno. Terram autem matrem constat esse deorum, unde et simulacrum eius cum clave depingitur. Nam terra verno tempore aperitur, clauditur hiemali. Hec leonibus fertur ut ostendatur evidenter maternam pietatem totum posse superare. Omnis enim feritas materne subiacet affectioni et ei subiecta est. Curru vehitur quia terra in aere pendeat. Ideo sustinetur rotis quia mundus rotatur et est revolubilis. Ideo Coribantes, qui cum strictis pinguntur gladiis, eius fuerunt ministri ut significetur omnes pro patria sua debere pugnare. Quare turritam gestat coronam ostendit superpositas ||113v| terre esse civitates, quas constat esse turribus insignitas. De eo autem, quod Atim amaverit, tradunt quidam quod Atis interpretatur flos, in cuius figura sol accipitur. Ipse enim et flos et princeps stellarum et causa omnium florum est. Quem amavit Berecinthia, id est terra. Terra enim constricta frigore hiemis, solis calore relaxari et foveri desiderat. Ipsi etiam Opi dantur

35 Homerus, *Il.* 1.279.
49-58, 60-62, 64-73 MV³ 2.3.
73-78 MV³ 2.4.

34 unde] id est
41 *post* mater *del.* eius
47 Etos] *MV³*: ἔθος

timpana, quod terra duobus celi emisperiis circumvallatur. Ideoque Cibeleia vocantur quia cum omnia elementa in motu sint et musicam de se efficiant, sola terra que semper in uno statu est nullum sonum de se emittit. Eadem tamen proximo sibi lunaris circulo sono ex repercussione sonitus resonare perhibetur. Sicut et timpanum nisi extrinsecus aliunde concutiatur sonare non consuevit. Cimbala quoque in eius sunt tutela, quod et ipsa emiciclis celi quo cingitur terra similia sunt. Vestam deam ignis ei adherere dicunt, quia in visceribus terre ignis invenitur. Videmus enim de silicibus ignem excudi.

83-86 MV^{3} 2.4.
81 circulo] tirtua

Saturnus et Ops dicuntur parentes esse Iovis et Iunonis et aliorum deorum. Quia Saturnus tempus designat; Ops vero terram. Iupiter et Iuno, duo superiora elementa, filii Saturni dicuntur esse quia in tempora sunt creata. Sic et alii dii, id est stelle, filii etiam Opis esse dicuntur quia sicut mulieres suos partus in aperto demonstrant, sic ipsa terra inferius emisperium cum aere sibi subito per renudationem nobis ostendit et stellas. Ops vero uxor Saturni et propter stellam et propter tempus dicitur; propter stellam quia ut eius stella et frigida est et sicca, sic et terra; propter tempus quia tempore fecundatur.

CAPITULUM IV.

1-2 PB 10.6.
15-17 Arn. 10.5.
22-41 MV^{3} 6.28.

16 folia] florida

Ciparissus puer nimium dilectus a Phebo, cum cervum sibi in pignus amoris a Phebo datum occidisset, mori desideravit. Nempe 'metu vacuus' iste cervus 'naturalique pavore Deposito celebrare domos mulcendaque colla Quamlibet ignotis manibus prebere solebat' [10.117-9]. Sed ante omnes alios gratus erat Ciparisso. Ille cervum solebat ad nova pabula ||114^{r}| ducere et fontis undas. Qui 'modo texebat varios per cornua flores, Nunc eques in tergo residens huc letus et illuc' [10.123-4] equitare solebat. Hunc Ciparissus nescius dum in herba quiesceret interfecit. Ob quam causam mori statuit. Sed enim Phebus, ut leviter doleret, pro hac causa monuit. Sed tamen ille gemere non destitit, sed hoc munus petit a superis ut tempore lugeat omni. 'Iamque per immensos fletus egesto sanguine' [10.136] ceperunt eius membra verti in colorem viridem et subito versus est in horrentem cipressum, vel ut quidam volunt in pinum. Expositio:

Ciparissus puer prius levis, in adolescentia est mutatus in hispidum et pilosum, unde fingitur in pinum mutatus esse, quia folia pinus habet horrida. Ovidius tamen vult eum esse mutatum in cipressum quia videlicet sub cipresso sepultus est. Nempe antiqui solebant intumulare amicos suos in cupressu et etiam apponere cupressum circa mortuos ne fetorem sentirent mortuorum, et ita factum est de isto, et ideo dicitur mutatus in cupressum propter habundantiam frondium cipressorum positarum circa ipsum post mortem suam. Cipressus mortuis accommodati iudicata est, vel quia sit arbor sterilis, vel quia in tutela fuerit inferorum, vel maxime quia cesa non repullulat sicut nec mortuus revivi-

scit, vel quia per eam funestata ostendebatur domus; unde et atra vocatur quod atra vestimenta sumenda significet propter mortem alicuius amici et atras lares, sicut e contra letas domos feste rose, frondes lauri et olive et similium. Nempe quondam mos erat ramos cipressi ante domum funestam ponere, ne quis pontifex illuc ingrediens per ignorantiam pollueretur. Quia talis si ingressus fuisset ad funus sacrificare vetebatur. Quod si contingeret ut uno eodemque tempore funestaretur aliquis et sacrificiis operam dare cogeretur, laborabat ut ante sacra compleret quam funus contingeret; ||114v| unde cum quidam pontifex dedicaturus esset Capitolium et ei nuntiaretur quod ab inimicis filius eius esset extinctus, ne pollutus dedicare non posset respondit 'cadaver sit!' Nec voluit funus agnoscere donec templa dedicasset. Varro dicit piras cipresso circumdari propter gravem ustorum cadaverum odorem ne offendatur populi circumstantis corona, que tamdiu stabat respondens fletibus prefice, id est principi planctus, quamdiu consumpto cadavere et collectis cineribus novissimum verbum 'ilicet' diceretur, id est ire licet.

CAPITULUM V.

Ganimedes filius regis Frigie Troili puer speciosissimus tantum diligebatur a Iove quod Iupiter se convertit in aquilam et sic eum rapuit et fecit deorum pincernam et in celo stellificavit eundem. Et hoc est signum quod Aquarius dicitur et aquas super deorum manus infundere fingebatur. Expositio:

Ganimedes in specie aquile raptus est quia Iupiter in navi veniens in qua depicta fuit aquila eum abduxit. Pincernam deorum fecit quia in signo sui nominis scilicet Aquario pluvie habundantius solent ruere. De hac materia aliter dicit Orosius videlicet, quod Tantalus rex Frigiorum Ganimedem Troi Dardaniorum regis filium flagitiosissime rapuit et maiore <conserti> certaminis feditate detinuit, quia ab hoc maximum bellum excitavit. Sive, ut vult Fanocles poeta, Tantalus ut deorum asseculam raptum puerum ad libidinem Iovis familiari lenocinio preparavit. Sed utrum Iupiter sive Tantalus eum rapuerit, in navi tamen abductus fuit in qua depicta fuit aquila ut fabule detur locus.

1-5 Cf. PB 10.7.
9-14 Orosius 1.12.4-5.
12 Fanocles] cf. Eusebius 657, 660.
11 conserti *add.*

CAPITULUM VI.

Iacinctus fingitur fuisse puer summe dilectus a Phebo, qui cum eo ludens a discum proiciendum ad terram ex disci percussione periit. Est autem discus plumbea pila cum qua solebant antiqui ludere. Sed ipsum Phebus mutavit in florem qui tunc iacinctus fuit dictus, et annua festa Iacincti decrevit celebrari, unde dicit: 'Annua prelata ||115r| redeunt Yacincthia pompa' [10.219]. Phebus etiam ut ostenderet dolorem quem conceperat de morte Iacincti et perpetuaret nomen eius in illo flore descripsit 'ya' vel 'ia,' unde dicitur: 'Ipse suos gemitus foliis inscribit, et ia Flos habet inscriptum' [10.215-6]. Expositio:

1-2, 3-5 . . . celebrari PB 10.8.

10-11 Arn. 10.6.

Iacinctus in florem sui nominis est mutatus quia ubi sepultus est mox flos ille succrevit in cuius folio 'ia' scriptum est.

CAPITULUM VII.

6-9 Arn. 10.7.

7 cornuti] corrupti

Amatontiades homines a loco dicti sunt qui Iovi hospites sacrificabant et sic eum placare putabant. Et vocabatur Iupiter hospitalis quia hospites sibi immolabantur. Fuerunt autem tiranni qui etiam solebant ire cornuti in signum ferocitatis; hos Venus mutavit in boves. Expositio:

Amatontiades mutantur in Cerastes, id est cornutos boves, quia propter brutalitatem suam ab omnibus insensati sunt reputati. Et in boves potius quam in alia animalia quia boves cornuti sunt. Illi autem homines quasdam strumas habebant in frontibus, et ideo Ceraste a ceros, quod est cornu, dicebantur. Ceros autem grece, cornu latine, unde dicitur 'gemino quondam quibus aspera cornu Frons erat, unde etiam nomen traxere Ceraste' [10.222-3].

CAPITULUM VIII.

1-3 . . .puplice, Arn. 10.8.

Propetides filie Propetis contempserunt Venerem, dicentes eam non esse deam; hee prius Venerem dedignantes, postea gustato coitu facte sunt meretrices publice, unde dicitur: 'Corpora cum forma prime vulgasse feruntur' [10.240]. Que dicte sunt ex post mutate in silices, quia sicut silices induruerunt in peccato.

CAPITULUM IX.

6-7 Arn. 10.9.

Pigmalion statuam mulieris formavit eburneam, 'formamque dedit qua femina nasci Nulla potest' [10.248-9] tam decora. 'Virginis est vere facies quam vivere credas, Et, si non obstet reverentia, velle moveri' [10.250-1]. Motus ergo Pigmalion illicito amore sue statue obtinuit a Venere ut in veram feminam verteretur. Expositio:

Pigmalion mirabilis artifex eburneam fecit statuam cuius amorem concipiens ea cepit abuti ad ||115v| modum vere mulieris.

CAPITULUM X.

Mirra filia Cinare regis Grecie patrem illicito dilexit amore. Et cum sepe suis conceptibus repugnasset, dixit intra se de ipsa, '"Tune eris et matris pelex et adultera patris? Tune soror nati genitrixque vocabere fratris?"' [10.347-8]. Inter hec pater scitatur ab illa quem vellet habere maritum. Nam, inquit, te cupiunt proceres totaque oriente iuventus ad thalami certamen adest; ex omnibus unum elige, Mirra, virum. 'Illa silet primoque patris in vultibus herens Estuat et tepido suffundit lumina rore' [10.359-60]. Cinaras hec credens virginei fore timoris, 'Flere vetat siccatque genas atque oscula iungit; At Mirra datis nimium gaudet' [10.362-3] osculis. 'Consultaque qualem Optet habere virum, "similem tibi" dixit. At ille Non intellectam vocem collaudat. Et "esto

Tam pia semper" ait. Pietatis nomine dicto Demisit vultus sceleris sibi conscia virgo' [10.363-7]. Cumque Mirra nullo modo posset flammas iam conceptas superare, paravit collo suo laqueum ut se suspenderet. Quod comperiens anus quedam malifica nutrix eius, et intelligens causam quare se suspendisse voluit, '"Vive" ait hec "potiere tuo," non ausa "parente" Dicere. Conticuit promissaque numine firmat' [10.429-30]. Anus ergo captato tempore quando regina abfuit in sacris Veneris, novem noctibus quibus non licet vires suos tangere mulieres, inebriavit regem dicens quandam virginem eum diligere que talis per omnia fuit sicut filia sua in decore. Iussit ergo rex eam secrete adduci. Cumque Cinaras iam secunda nocte eam cognovisset, voluit eam videre. Et 'illato lumine vidit Et scelus et natam' [10.473-4]. Et mox arepto gladio voluit eam occidisse. At illa fugit et per tenebras noctis cete evasit mortem. Fugit ergo ultra Arabes et Parthos per novem menses donec fessa requievit in terra Sabea ubi mutata est in arborem mirram dictam, que semper ||116^r| emittit lacrimas. Que arbor iam facta peperit Adonidem. Expositio:

Mirra patrem amasse dicitur et cum inebriato concubuisse, que cum recessisset evaginato eam persecutus est gladio. Illa in arborem conversa est mirram. Quam arborem, cum pater gladio percussisset, Adonis exinde natus est. Mirra igitur genus est arboris in India et Sabea regione, que calore solis augmentatur et crementa sumit, quem patrem omnium dicimus eo quod eius opitulatu cuncta germinum adolescat varietas, unde patrem amasse Mirra dicitur. Que etiam cum grandioris fuerit roboris, solis ardoribus crepans efficit rimam per quam succum desudat, qui itidem mirra dicitur, unde Ovidius: 'Arbor agit rimas et fisso cortice <vivum> Reddit onus' [10.512-3]. Ob quam rem Adonidem fertur generasse, qui suavitas interpretatur. Hec enim species odore suavis est. Ideo autem Venus eum amasse dicitur, quod hoc genus pigmenti valde sit fervidum; unde et Petronius Arbiter ad libidinis concitamentum se mirrinum poculum bibisse refert. Hic quidem Adonis venatione extinctus in florem mutatus est. Quia omnis amoris dulcedo aut labore venationis aut alterius officii extinguitur, unde Ovidius: 'Otia si tollas, peremit Cupidinis archus.' Extincta ergo Veneris dulcedine per laborem, mutatur in florem sui nominis, id est in Adonidem, quia dulcior foret amor caritativus quam amor venereus. Sed de Adonide plura dicemus in sequenti fabula.

Ykarus fuit optimus cultor vinearum, qui cum rusticos inebriasset, illi putantes se venenum bibisse, eum interfecerunt. Quem cum Erigone filia sua mortuum inveniret et seipsam pre dolore vellet interficere, miseratione deorum mutati sunt ambo in signum celi, quod stella Ykari appellatur. Canis Ykari reversus est ad Erigonem, quo ducente illa pervenit ad corpus patris, quo viso laqueo vitam finivit. Hec inter astra cum cane relata est, quam Virginem vocant. ||116^v|

29-42 MV^3 11.17.
41 Petronius, ed. Burm., 672.
42-47 Arn. 10.10-11.
45 Ovid. *RA* 139.
49-55 Cf. MV^3 15.6.

18 Veneris] *Ovid.*: Cereris
38 vivum *add.*
47 foret amor] est flore amor

CAPITULUM XI.

Adonis adultus cepit esse tam pulcher ut Venus eius connubium affectaret. Venus nempe Cupidinis filii sui vulnerata sagitta in manu extanti, id est extra ceteras stante dum eam oscularetur incaute, tantos statim concepit ignes ut pre amore eius omnia perimpenderet. Et sicut illa matrem Adonidis in patris amorem stimulaverat, sic nunc Venus amore Adonidis dilixabat. Unde dicitur: 'Iam placet et Veneri matrisque ulciscitur ignes' [10.524]. Hunc Venus ortatur postquam eius nacta est familiaritatem, ut animalia tute prede persequatur, ut 'Pronos lepores aut celsum in cornua cervum Aut agitat damas; a fortibus apris abstineat Raptoresque lupos armatosque unguibus ursos' [10.538-40], vitet sevosque leones. '"Fortisque fugacibus esto" Inquit; "in audaces non est audacia tuta"' [10.543-4]. Sed Adonis Veneris perimpendens monitum dum aprum insequitur, ab eodem percutitur dente in inguine et sic statim cecidit moribundus. Quem Venus mutavit in florem, sicut quondam Persephone, id est Proserpina, mutaverat socias suas in mentas. Addidit insuper Venus Adonidi tale munus ut omni anno recenter a mulieribus deplangeretur, sicut illa Venus tunc illam planxit, unde ait: '"Luctus monimenta manebunt Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis ymago Annua plangoris peraget simulamina nostri"' [10.725-7]. Hunc igitur mulieres gentiles, quia in flore iuventutis mori viderunt, flere annuatim decreverunt quem revicturum postea crediderunt, sicut innuere videtur scriptura ore Ieremie ubi dicitur quod vidit mulieres plangentes Adonidem. Expositio:

Venus Adonem ab apro interfectum plangit, quia terre pulcritudo, que per Venerem significatur, plangit solem, qui per Adonem designatur, ad australes circulos descendentem, spurcitia et rigore hiemali quasi dentibus apri interfectum. Tuncque lacrimas ymbrium et fluentorum terra producit. ||117r|

Cur Cupido Amor dicatur filius Veneris nullus ignorat, cum ex voluptatis desiderio amorem nasci certum sit. Pingitur autem Amor puer quia turpitudinis stulta est cupiditas. Et quia imperfectus est in amantibus, sicut in pueris sermo, unde Virgilius de Didone amante Eneam: 'Incipit effari, mediaque in voce resistit.' Alatus pingitur quia amantibus nec levius est aliquid nec mutabilius, quia talis amor non diu durat sed cito volat. Sagittas fert, que et ipse incerte sunt et veloces; sive quod conscientia criminis perpetrati stimulet mentem, vel quia amantes vulnerat sagittis amoris. Sagitta aurea amorem mittit; plumbea vero tollit. Quia amanti amor pulcher ut aurum, non amanti res gravis ut plumbum videtur. Ideo nudus pingitur quia turpitudo a nudis peragitur, vel quod in ea turpitudine nichil est secretum, vel quia turpis amor pudorem aufert. Due autem sunt Veneres: una casta et pudica que honestis preest amoribus, que Vulcani uxor dicitur, id est Pallas; Venus casta, que dicitur armas habere, Pallas est, id est sapientia.

20-23 PB 10.12.
22 Ieremie] Ezechiel 8.14.
24-28 MV³ 11.17.
32-42 . . .dicitur, MV³ 11.18.
33 Virg. *A* 4.76.

35 volucres

Sapientia enim contra stultitiam semper est inimita et armata, que dicitur ferre arcum et sagittas que remota ferire solent, sicut sapientia novit a remotis sibi cavere. Altera voluptuaria libidinum dea, cuius Hermafroditum dicunt esse filium. Itidemque Amores sunt duo: unus bonus et pudicus, quo sapientia et virtutes amantur. Alter impudicus et malus, quo ad vitia inclinamur.

CAPITULUM XII.

Athalanta Cenei filia habuit ex responso deorum quod si alicui nuberet vita caritura esset. Quo responso territa coniugium fugiebat et silvas frequentabat et turbam procerum violenta conditione fugit, dicens: '"Non sum potiunda"' [10.569] inquit, nisi prius pedum fuero victa cursu. Et ideo qui contendere mecum vultis pedibus contendite ea lege, ut si ego victa fuero, uxor fiam. Si alias, mors erit premium tardis. Hec lex quamvis dura foret, tamen propter eius pulcritudinem ||117v| multi venerunt et multi tardi certamine perierunt capitibus amputatis. Ypomanes pronepos Neptuni venit inter ceteros ad vicendum cursum cum virgine certantium et visa virginis pulcritudine; licet videret quosdam plexos capite sine pietate desideravit tamen cursu cum virgine desertare. Provocavit ergo virginem cum ingenti audacia ad certamen. Que videns eius speciositatem et considerans generositatem, iam dubitare cepit utrum mallet eum vincere vel ab eo vinci. Statuitur tandem dies in quo contendere decretum fuit. Et Ypomanes rogavit Venerem ut suffragia sibi ferret; Venus ergo dedit sibi tria poma aurea, nulli videnda nisi sibi et virgini, docuitque qualiter illis uteretur. Cum ergo tube signum dedissent cepit uterque currere. At virgo sepe cum pertransire posset morata est ad spectandum vultus iuvenis. Cum ille in obliquum pomum unum iecit quod virgo paululum morata collegit, sed statim iuvenem post terga reliquit. Deinde iecit alterum, quo etiam remorata est, sed tamen mox eum cursum corrigens pertransivit. Pars ultima cursus restabat et proiecit tertium, quo virgo retardata et pomorum pondere pregravata permisit ei cursus victoriam. Sed quia Ypomanes non egit Veneri pro tanta victoria gratias debitas, instigavit eum ut concumberet cum iam de novo adepta coniuge in templo Cibeles matris deorum. Ob quam causam irata Cibeles convertit eos in leones et suo currui subiugavit. Et quia luxuriose egerant ipsos nasci fornicarie fecit, ut leo cum parda et pardus cum leena adulteria committerent ordinavit.

Expositio:

Athalanta virgo innuba esse volens quia velocissima fuit, et multi eam proci sequerentur ipsa eos velocissime fugiebat, unde et nomen sortita est ab athas, quod est levitas, et lentos, quod est plenum, unde et vinolentus et sompnolentus dicitur. Inde etiam dicitur Athalanta quasi plena levitate. Sed Ypomanes ||118r| est ea velocior, quod ex nomine eius perpendi potest. Nam ypos interpretatur equus, manes

46-49 MV3 11.18.

1-29 Cf. PB 10.13.

31-44 Arn. 10.121

18 signum signum dedissent

34 vinolentus] inolentus

<corruptum est a maneo-manes, et dicitur Ypomanes quasi equus manens>, id est ad modum equi velox. Qui eam per tria poma Veneris superavit. Tria poma Veneris sunt sapientia, pulcritudo, nobilitas. Quibus virgo circa Ypomanem consideratis se ab eo vinci permisit. Sed quia revera ambo in templo Cibeles concubuerunt, in hoc bestialiter fecerunt. Et inde datus est locus fabule, quia in bestias mutati fuerunt. Sed in leones potius quam in alias quia leones dicuntur trahere currum Cibeles, quod videtur esse per iniuria facta Cibele.

CAPITULUM XIII.

Quod Persephone mutavit socias suas in olentes mentas dicendum est quod Persephone ipsa est luna, id est humor, qui comites suas, id est herbas que semper comitantur humorem, in mentas mutavit, id est bene fecit olentes. Nam mente bene olent et herbe dum comitantur lunam, id est dum sunt humide melius redolent quam arefacte.

Explicit Liber Decimus

37-38 corruptum. . .manens *add.*
41 fecerunt] fuerunt

1-5 Arn. 10.13.

LIBER XI

Undecimus liber habet octo fabulas principales. Prima narrat mortem Orphei crudelissimam et inducit feras et volucres, silvas et silices mortem Orphei lamentantes, que sic inchoat librum undecimum: 'Carmine dum tali silvas animosque ferarum' [11.1]. In hac fabula inducitur fabula de mutatione feminarum que peremerunt Orpheum in arbores, que incipit ab hoc versu: 'Non impune tamen scelus hoc' [11.67]. Infertur et alia fabula de dracone volente caput Orphei devorare verso in lapidem in hoc loco: 'Hic ferus expositum' [11.56].

Secunda fabula introducit Midam benigne recipientem Silenum ministrum Bachi hospitio, et ob hoc consecutum munus quodcumque postulasset. Illum vero petisse ut quicquid tangeret verteretur in aurum et optinuisse. Sed cum penituisset optionis stulte remedium recepisse in Pactolo fluvio, cuius arene trahunt aurum, et sic incipit: 'At Silenus abest' [11.90].

Tertia fabula narrat Pan certasse fistula cum Apolline et lira sua, et Apollinem superasse iudicio Thmoli et omnium assistentium; ||118v| solum vero Mydam iudicasse pro Pan, ob quam causam Apollo vertit aures eius in aures azini. Hec fabula sic incipit: 'Ipse perosus opes' [11.146].

Quarta fabula facit de Neptuno construentibus muros Troie et famosis periuriis Laomedontis et de Hercule salvente filiam Laomedontis a marina belua, et sic incipit: 'Ultus abit Thmolo' [11.194]. In hac etiam tangitur fabula de Elle et Frixo submersis ab hoc verbo: 'Angustum citra portum Nepheleides Elles' [11.195]. De hiis talis est fabula: Frixus et Elles filii Amphionis cum stimulis noverce sue deberent perimi Nephile mater eorum, misit eis arietem aureum vellus habentem, ut super eum transfretarent. Qui cum essent in mari Elle submersa est, unde Ellesponticum mare dicitur equor illud.

Quinta fabula de Peleo et Thetide, que se vertit in formas varias, incipit ab hoc versu: 'Illic te Peleus, ut sompno victa iacebas, Occupat' [11.238-9].

Sexta fabula habet Dedalionem versum in accipitrem, et Chionem eius filiam interfectam a Diana, incipit ab hoc versu: de Dedalione quidem: 'Et flebat, moveatque tantos causa dolores' [11.289]. De Chione ab hoc loco: 'Nata erat huic Chione' [11.301]. Tandem finaliter de mutatione Dedalionis agitur ab hoc loco: 'Que pater haud aliter' [11.330]. In hac fabula tangitur de lupo marino vastante greges Pelei et verso in saxum per Thetim ab hoc loco: 'Advolat armenti custos' [11.348].

Septima fabula de Ceyce et Alcione versis in aves alciones incipit ab hoc loco: 'Interea fratrisque sui fratrem' [11.410]. In hac fabula introducitur quomodo Iuno misit Yridem ad Sompnum ad nuntiandum Alcioni mortem Ceycis ab hoc loco: 'At dea non ultra' [11.583].

22 Vultus

25 Amphion] *i.e.* Athamas

Octava fabula de Esacho Esperiem diligente et mutato in mergum avem aquaticam incipit ab hoc loco: 'Hos aliquis senior' [11.749].

CAPITULUM I.

Cum Orpheus fabulas antecedentis libri dulci carmine liraque sua modulasset in silvis solitarius et ferarum animos silvasque et saxa demulsisset, ||119r| et visus fuisset ibi inopinate a mulieribus celebrantibus festa Bachanalia, ceperunt furibunde clamare: '"En, hic est nostri contemptor!"' [11.7]. Et illico eum circumdederunt et in eum violentissime irruerunt. 'Et coeunt ut aves, si quando luce vagantem' [11.24] viderint noctis avem, id est bubonem. Siquidem quedam frondes virentes, quedam glebas, quedam silices torquent in eum. Et ne desint arma furori accurrunt ad aratrum, quod prope boves trahebant, et instrumentis aratri, id est cultro vomere, et aculeo eum feriunt donec animam exalare pena maxima coegeretur. Tunc 'te meste volucres, Orpheu, te turba ferarum, Te rigidi silices, tua carmina sepe secute Fleverunt silve, positis te frondibus arbos Tonsa comam luxit' [11.44-7], id est cadentibus foliis; 'lacrimis quoque flumina dicunt Increvisse suis. . . Naydes et Driades sparsosque habuere capillos' [11.47-9]. Membra Orphei diversis in locis sparsa iacuere. Caput et lira in fluvium devoluta eiecta sunt in Lesbos insula, ubi dum quidam serpens voluit caput Orphei devorasse, affuit Phebus pater eius et serpentem transmutavit in lapidem. Phebus itaque morsus 'inferre parantem Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos Congelat, et patulos ut erant indurat hiatus' [11.58-60]. Orphei denique 'Umbra subit terras, et que loca viderat ante, Cuncta recognoscit. Querensque per arva piorum Invenit Euridicen cupidisque amplectitur ulnis. . . . Euridicenque suam, iam tuto, respicit Orpheus' [11.61-3, 66]. Expositio:

Per Orpheum debemus intelligere discretionem cum eloquentia. Per mulieres illum impugnantes molles et effeminatos qui semper sapientes impugnant. Mulieres itaque, id est luxuriosi, Orpheum, id est sapientem, occiderunt quia mares, id est virtuosos, amabat. Et ideo mutate sunt in figuras varias a Bacho, id est inebriate dederunt se diversis vitiis. Quod ideo fingitur quia luxurie multe ||119v| sunt species, id est in victu, vestitu, et multis aliis. Sed serpens, id est imprudens fallacia, quorundam nichil intelligentium caput Orphei, id est rationem, nititur devorare; sed ab Apolline, id est sapientia, mutatur in lapidem cum sibi a sapiente sic concluditur quod numquam postea habeat quod replicet pre stupore et duritia ingenii.

27-31 Cf. Arn. 11.2.
31-35 Arn. 11.1.

9 ad] at
15 sparsos

CAPITULUM II.

Midas fuit rex Frigie. Accidit ergo quod Silenus Bachi sacerdos et alumpnus a ruricolis Frigiis ebrius inventus et titubans ad Midam regem sub specie prede duceretur. Sed Midas, qui Bachi sacerdos fuerat

et instructus ab Orpheo quando orgia Bachi celebraret ut cognovit Silenum esse sacrorum socium et comitem, eum honorabiliter festinavit 'Per bis quinque dies et iunctas ordine noctes' [11.96]. Propter quod Bachus ei repromisit donum quodcumque petisset. Midas ergo petiit ut quicquid tangeret verteretur in aurum. Quod ei statim concessit Liber, sed indoluit quod meliora non petisset. Abiit ergo Midas gaudens et polliciti fidem temptans singula temptat. Detraxit virgam de ilice: 'virga aurea facta est. Tollit humo saxum, saxum quoque palluit auro; Contigit et glebam, contactu gleba potenti Massa fit. Arentes Cereris discerpsit aristas, Aurea messis erat; demptum tenet arbore pomum' [11.109-13], aurum fiebat. Sed postibus 'Admovit digitos, postes auro radiare videntur. Ipse etiam liquidis palmas ubi laverat undis' [11.115-6], unda fit aurum, ut quondam Iupiter pluit Danes, manibus. Inter hec cepit esurire, et ipsi 'gaudenti mensas posuere ministri' [11.119]. Tamen ille, sive panem manu, sive dapes ore, contigeret aurum fiebant. 'Attonitus novitate mali divesque miserque Effugere optat opes et que modo voverat'—id est cupierat—'odit. Copia nulla famem relevat; sitis arida guttur Urit, et inviso'—id est odibili quia aurea—'meritus torquetur ab auro. Ad celumque manus et splendida brachia tollens, "Da veniam, ||120r| lenee pater! peccavimus" inquit, "Sed miserere, precor, speciosoque eripe dampno!"' [11.127-33]. At deus 'Bachus peccasse fatentem Restituit' [11.134-5] et ne maneat circumlitus auro male optato; vade, ait, ad Pactolum fluvium et '"obvius undis Carpe viam donec venias ad fluminis ortus"' [11.138-9]. Ibi '"Subde caput corpusque simul, simul elue crimen." Rex iusse succedit aque; vix aurea tinxit Flumen et humano de corpore cessit in ampnem' [11.141-3], ita quod virtus aurea mansit in flumino, qui ex tunc arenas aureas generavit. Midas vero ex post cepit divitias perhorrere et rura vagabundus incolere, unde dicitur: 'Ipse perosus opes silvas et rura colebat' [11.146]. Expositio:

33-49 MV^3 10.8.

Midas a Bacho petiit et impetravit ut quicquid tetigisset aurum fieret. Quod munus in ultionem ei conversum est, quia cibus ac potus eius in auri materiam vertebatur. Itaque iterum a Bacho postulavit ut mala desiderata averteret, responsumque accepit ut ter in Pactolo fluvio caput mergeret; quo facto, Pactolus fluvius aureas harenas traxit. Inexplebili hominum cupiditati hanc fabulam dicunt veteres allusisse. Avaritie enim deservientes et semper aurum suum augmentare et qualibet de re multiplicare contendentes, fame moriuntur ut Midas qui avaritie deditus, licet ei aurum ad libitum suppeteret, non tamen sustinuit vesci bonis suis. Scribitur autem de eo in historia quod collecta pecuniarum summa Pactolum fluvium, qui per unum tantum alveum in mare decurrebat, per innumerabiles meatus ad irrigandam provinciam derivaverit. Sicque sua expensa pecunia fluvium fertilem reddiderit. Qua in re censum consumpsit et ideo caput dictus est fluvio supposuisse et fluvius aureas harenas traxisse, eo quod fructifer factus est. Midas

vero nichil sciens interpretatur. Quia avarus adeo stultus est ut nesciat quid poterit prodesse sibi.

CAPITULUM III.

Midas rex factus ruricola inter Pan deum rusticorum, qui Silvanus alio nomine dicitur, et Phebum, qui de musica disputabant, ||120ᵛ| fit iudex. Phebus vero cithara, Pan calamo, id est pastorali instrumento canebat. Sed cum omnes audientes magis melodiam Phebi citharedi commendassent, Midas solus Pan melius cecinisse iudicavit. Phebus igitur iratus aures azini dedit Mide. 'Instabilesque illas facit et dat posse moveri; Cetera sunt hominis, partem dampnatur in unam, Induiturque aures lente gradientis aselli' [11.177-9]. Quas ille celare cupiens, 'Tempora purpureis temptat velare tyaris' [11.181]. Sed suus tonsor hoc deprehendit, qui solitus fuerat eius resecare capillos. Sed cum hic nec prodere domini sui dedecus auderet, 'Nec tamen posset reticere, secedit humumque Effodit et, quales aspexerat domini sui aures, Voce parva refert' [11.185-7], et apposito ore in terram submurmurat regis secretum. Quo facto fossam terra remplet et opertis scropibus discedit tacitus. Ex post in eodem loco creverunt arundines. Cumque quidam pastor de una harum arundinum fistulam sibi fecisset, nichil aliud cantare potuit nisi: auriculas azini rex Midas habet, sicque puplicatum est Mide secretum. 'O Choridon, Choridon! secretum divitis ullum Esse putas? Servi ut taceant, iumenta, loquentur Et canis et postes <et> marmora; et claude fenestras, Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen De medio; clament omnes; prope nemo recumbat; Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi, Protinus ante diem caupo sciet.' Sed Midas rex secretum suum terre infodiat, successit arundo qui cantando deducit in puplicum, quia auriculas azini rex Midas habet. Expositio:

Fertur quod Minerva primo tibias adinvenerit. Quibus cum in convivio deorum cecinisset eiusque tumentes buccas dii omnes irrisissent, illa ad Tritonem paludem pergens in aqua faciem suam turpem ex flatu speculata, <tibias abiecit.> Quibus repertis Marsias, qui et Pan, canens Apollinem ad certamen provocavit. Midam ergo regem iudicem elegerunt. Quem Apollo, quia iniuste iudicavit, asininis auribus dedecoravit. ||121ʳ| Ideo criminis sui notam tonsori tantum ostendit, pollicens ei partem regni si taceret. Sed ille celare nequiens, nec palam proferre ausus, terram fodit et in fossa secretum dixit et operuit fossam iterato. In eodem loco calamus natus est, unde sibi pastor fecit tibiam. Que percussa cecinit: rex Midas asininas aures habet. Sed ista fabula a musicis adventa fuit. Musici enim duos primum artis sue posuerunt ordines. Tertium deinde minoris valentie adiecerunt, id est cantantium, citharizantium, et tibizantium. Prima est vox viva, que in omnibus sibi musicis necessitatibus celerime subvenit; secunda est cithara, que cum in multis vocem vivam equiparare videatur, aliqua tamen implere non

1-6, 9-11 . . .auderet, *14-18* cf. PB 11.2.
18-22 Juvenalis 9.102-8.
25-53 MV³ 10.7.

19 et² *add.*
28 tibias abiecit *add.*

valet que viva vox potest. At vero tibia vix artis musice partem extremam sufficit adimplere. De quinque enim simphoniis quas vox viva vel cithara reddit, tibia vix unam et dimidiam partem perficit. Minerva itaque, id est aliqua persona sapiens, tibiarum nondum experta defectum quasi eas adinvenit. Quas tamen cognitas omnis doctus in musicis propter sonorum respuit paupertatem. Inflatas vero buccas dii risisse dicuntur, quod tibia ventose in musicis sonet et artificiose flexibilitatis vocum proprietates amissa, rem potius sibilet quam musice moduletur. Merito ergo causa nimii flatus perstrepentis, omnis qui in arte musica doctus est tibiam proponere ridet; unde et Minerva, id est sapientia, exprobratam tibiam proicit. Quam tamen Marsias assumit. Marsias enim grece solus stultus interpretatur. Qui videlicet tibiam preponere cithare in arte musica voluerit, unde cum porcina cauda depingitur. Sed certantibus Midas imperitus assidet iudex, qui nichil sciens interpretatur. Hic et asininis auribus esse dicitur, quod omnis discernendi ignarus nichil ab asino differt; ob hanc rem et servus eius auricularum suarum dedecus dicitur prodidisse. Ingenium enim nostrum, ut legitur, debemus habere servum ad omnia que volumus obsequentem et secreta nostra caute ||121v| celantem. Canna autem per quam dedecus illud est prolatum gutturis significat tibulum, per quem loquens suam prodidit ignorantiam.

54-61 MV^3 10.8.

48 amissa. . . sibilet] amissarum potius similibus

56 ignarus] *MV*^{3}: expers

59 autem] ante

60 probatum

CAPITULUM IV.

Cum Laomedon rex Frigie vellet murare Troiam, et pre difficultate operis et labore vix posset immo desperaret opus perficere, Phebus et Neptunus induti humana specie pacto auro muros edificaverunt. Sed perfecto opere rex pretium negat eis et addit periuria falsis verbis, propter quod Neptunus aquas maris ad litora Troie inclinavit et totam terram convertit in formam freti, 'opesque Abstulit agricolis et fluctibus obruit arva' [11.209-10]. Ad expiandum tantum facinus filiam regis Hesionem poscunt dii, ut ad dura saxa reiuncta exponatur marino monstro devoranda. Laomedon ergo promisit Herculi decem equos, vento velociores et nive candidiores, si eius filiam a marina belua liberaret. Sed cum Hercules hoc fecisset, negavit promissum Laomedon. Quamobrem Hercules eum vicit et Thelemoni socio militie sue dat Hesionem Laomedontis filiam in coniugem, eo quod ipse primus muros Troie ascenderat, unde dicitur: 'mercede negata Bis periura capit superate menia Troie' [11.214-5], semel de modio auri erga Neptunum et Apollinem, secundo de albis equis erga Herculem. Cum Laomedon promissam murorum mercedem Neptuno et Apollini denegasset, Neptunus iratus Troie immisit cetos, unde Apollo consultus, cum et ipse irasceretur magis, contraria respondit dicens obiciendas esse belue puellas nobiles. Quod cum fieret, timens Ypotes quidam nobilis filie sue Segeste eam religatam et scaphe impositam misit quo sors tulisset. Que

1-14 . . .ascenderat, cf. PB 11.3.

16-24 MV^2 193.

ad Siciliam delata, a Crimiso fluvio converso in ursum vel in canem ||122r| compressa edidit Acestem. Qui ex matris nomine civitatem condidit que hodie Acesta nominatur. Iste Achestes omnibus Troianis semper fidus mansit quia ab eis duxit originem. Expositio:

Apollo et Neptunus in homines versi Laomedontem iuverunt facere muros; Laomedon vero Troiam a parte terre artificiose munivit. Quod quia dictante sapientia fecit, Apollo dicitur eum iuvisse; in specie hominis quia per artifices peritissimos Troiam muniebat. Neptunus etiam eum iuvisse dicitur in humana specie quia a parte maris per optimos artifices portum cavans Troiam nobilitavit.

CAPITULUM V.

Cum Peleus frater Thelemonis Thetidem diligeret et ei vim inferre pararet, sed non posset quia in formas varias se mutavit, edoctus a Protheo qualiter hanc posset retinere; ipsam laqueis implicuit et sic eam tenuit et cum ea concubuit et Achillem fortissimum ex ea generavit. De quo predixit Protheus ipsi Tetidi: '"Concipe, mater eris iuvenis qui fortibus armis Acta patris vincet maiorque vocabitur illo"' [11.222-3]. Thetis ergo, dum quadam die in quodam loco iuxta mare nuda sedisset et obdormisset, 'Illic eam Peleus, ut sompno victa iacebat, Occupat. Et quoniam precibus temptata repugnat, Vim parat, innectens ambobus colla lacertis; Quod nisi venisset variatis sepe figuris Ad solitas artes, auso foret ille potitus; Hec modo sed volucris: volucrem tamen ille tenebat. Nunc gravis arbor erat: herebat in arbore Peleus; Tertia forma fuit maculose tigridis. Sed illa Territus Eacides a corpore brachia solvit' [11.238-46]. Tandem Carphatius Protheus sic sibi consuluit: '"Tu modo, cum gelido sopita quiescit in antro Tetis, Ignaram laqueis vinculoque innecte tenaci. Nec te decipiat centum mentita figuras, Sed preme quicquid erit".... Dixerat hec Protheus et condidit equore vultum, Admisitque suos in verba novissima fluctus' [11.251-6]. ||122v| At Peleus utens consilio Prothei illam incautam occupavit. Sed licet novaret formas Thetis, Peleus tamen 'potitur votis et eam magno implet Achille' [11.265]. Expositio:

Peleus Thetidem amavit ut cum ea concumberet, id est mare ut per illud primus navigaret. Sed ut Peleum Tetis, id est mare, a navigatione absterreret in varias figuras se mutabat, id est diversis tempestatibus impedivit eum, ne propositum consequeretur. Sed Peleus vinciens vincula, id est naves et navium armamenta, Tetidem tandem tenuit, id est quod proposuerat de navigatione effecit. Filiumque genuit maiorem se. Quia primi navigatores non adeo boni fuerunt sicut sequentes.

CAPITULUM VI.

Peleus cum insanis occidisset fratrem suum Focum, fugit ad regem Tracie Ceicem Luciferi filium, qui tunc etiam dolebat pro casu fratris sui Dedalionis, qui versus fuerat in accipitrem tali modo: Dedalion nempe

26-29 Arn. 11.5.

23 Acestem] *i.e.* Acastum

24 Acesta] *sic MV¹ 137; MV² 193 et Serv. A 1.550:* Segesta

1-4 PB 11.4.

22-28 Arn. 11.6.

25 vinciens] initiens

semper bella dilexit; 'Illius virtus gentes regesque subegit' [11.299]. Huic erat filia nomine Chione, pulcra valde, que mille procos habuit. Hec cum placuisset Phebo et Mercurio ab utroque oppressa est. De Mercurio genuit versutum Auctilocum, qui fuit pater Sinonis qui prodidit Troiam, et Auctolia mater Ulixis filia sua fuit. Quidam tamen dicunt quod Auctolicus genuit Synirum qui genuit Auctoliam matrem Ulixis et Sinonem Troi proditorem, unde dicitur: 'Alipedis de stirpe dei, versuta propago, Nascitur Auctilocus, furtum ingeniosus ad omne, Qui facere assuevit patrie non degener artis, Candida de nigris et de candentibus atra' [11.312-5]; quia et pater suus Mercurius ita facere consuevit cum animalia furebatur. De Phebo vero concepit Philemonem citharedum, unde dicitur: 'Carmine vocali clarus citharaque Philemon' [11.317]. Chione ergo superbiens de diis concepta prole pretulit se Diane. Quam Diana emissa sagitta interfecit. Tunc pater Dedalion tantum concepit ||123r| dolorem de morte filie ut de vertice Parnasi montis se precipitare voluit. Sed 'Apollo miseratus, Cum se Dedalion saxo misisset ab alto, Fecit avem' [11.339-41] que 'maiores habet corpore vires, Et nunc accipiter, nulli satis equus, in omnes Sevit aves, aliisque dolens fit causa dolendi' [11.343-5]. Expositio:

Dedalion ob interitum filie de terra sua fugit, unde fingitur esse mutatus in accipitrem; sed quia ex desperatione in viatores tirannidem exercebat, in accipitrem potius quam in aliam avem mutatus dicitur. Quia avis illa ex rapina vivit. Quod Chione dicitur impregnata per Phebum et Mercurium significat quod se exposuit tam latronibus quam pacificis et legalibus. Quia et Mercurius fuit latro et Phebus sapiens et amator pacis. Interea lupus ascendit de mari qui armenta Pelei pene devastavit. Ille putans hoc sibi accidisse pro occisione fratris sui Phoci, ad instantiam matris sue Salmacis filie Nerei cepit placare eam orationibus et votis quatinus iram finiret. 'Ceruleam Peleus Psalmacem, ut finiat iram, Orat' [11.398-9]. Salmacis filia Nerei soror Thetidis uxoris Pelei Flegei mater, quem Peleus imprudens in venatione peremit et ideo exulabat. Tandem Thetis uxor Pelei convertit lupum in saxum quod 'corpus pariterque colorem Omnia servavit' [11.404-5]. Tantum 'lapidis color indicat illum Iam non esse lupum, iam non debere timeri' [11.405-6]. De immanitate huius lupi dicit Ovidius hic: 'Quamquam sevit pariter rabieque fameque, Acrior est rabie; neque enim ieiunia curat' [11.369-70]. Expositio:

Lupus armenta Pelei dilanians, quia de arduitate cuiusdam montis in precipitium veniens, vel vergens, postea non comparuit, fingitur esse mutatus in saxum, quod ibi usque modo videtur.

CAPITULUM VII.

Ceix rex Tracie territus de infortunio fratris sui Dedalionis in accipitrem transformati, proposuit placare deos ne similia umquam sibi contingerent. Ideoque ||123v| parat adire deum Clarium, id est Phebum,

23-26 Arn. 11.7.

41-43 Arn. 11.8.

8 Auctolia] *i.e.* Anticlea

9 Synirum] *i.e.* Sisyphum; cf. Hyg. *Fab.* 201

14 Philemonem] *i.e.* Philammonem

31 Salmacis] *i.e.* Psamathis

34 Flegei] *i.e.* Phoci

sic dictum a Claro insula ubi colitur, qui Delphos ire non poterat propter Forbantem regem Flegiorum, qui transeuntes interficiens iter illud clauserat. Alcione uxor Ceici dissuadet peregrinationem propter maris pericula et tempestates adversas. Etsi omnino sibi staret sua sententia, orat ut eam secum tollat. Sed ipse nec propositos cursus vult dimittere, nec vult Alchionem in partem adhibere periculi, sed iurat se infra duos menses reversurum. Cumque iam maris medium Ceix pertransisset, oborta tempestate submersus est. Alcione tantorum ignara malorum dinumerat noctes, et cotidie Iunonis colebat aras pro suo viro, qui iam nullus erat, 'Utque foret sospes coniux suus, utque rediret Sospes optabat' [11.580-1]. Sed Iuno compatiens Alcioni ne ulterius fatigaretur misit Yridem ad Sompnum, qui unus e diis infernorum existimatur, ut mitteret e suis quemquam qui in sompnis posset demonstrare sibi quod Ceix vir eius esset mortuus. Cum Iuno actura esset aliquid alieno fingitur auxilio uti, ut Eoli vel Yridis vel nympharum, quia natura est aeris ut per se nichil faciat. Aliud enim ei coniungitur cum aliquid operatur, ut venti qui nubes creant et pluvias. Hinc et Yridem, id est arcum celi, ministram ei attribuunt. Est autem Yris solis repercussio in nube opposita, unde et e regione solis semper apparet et nonnisi sole existente prope naturalem orizontem, que est media spera apparens super terram, id est in vespere et in mane. De qua Virgilius: 'Mille trahens varios adverso sole colores.' Circulus autem ille ideo integer non apparet, quia quantitas solis super terram tota comprehendi non potest. Tempestatem quoque ab ea parte qua apparuerit venturam designat. Quod Taumantias vocatur, hoc a patre secundum fabulam dicitur; secundum veritatem vero a miraculo sic vocatur, pre stupore colorum. Taumantos enim grece mirabilis latine interpretatur; varietates autem colorum eius rationem hanc assignant phisici. Dicunt enim nubem ||124r| ubique non esse qualiter, vel tenuem vel spissam. A sole igitur irradiatam necesse est esse diversicolorem. Hec Iunoni dicitur deservire quia non habet nisi in aere apparere. Yris etiam Iunoni attribuitur, quia sicut illa ornatus pingens varios momentaliter refugit, sic et fortuna, quamvis ad presens ornet, tamen fugitiva est. Sane Yrim quasi erin, id est certamen, quidam volunt dici, ideoque eam Iunoni dant famulam quod ex divitiarum veneno persepe certamina et seditiones oriuntur. Nempe Iuno divitiarum dea dicitur a paganis. Inde est quod Iris ad discordiam commovendam sepe mittitur legitur, sicut e contra Mercurius ad concordiam faciendam. Taumantis filia dicitur Aurora; taumanton stupor interpretatur, vel miraculum sive varietas. Inde Yris dicitur Taumantias, id est illa nubium arcuata varietas, que quasi stuporem infert hominibus cum aerem tot videmus coloribus insignitum et subito; Yris enim subita interpretatur, hinc est quod secundum fabulas dicta est ministra Iunonis, quia sic aeri, id est Iunoni, famulatur, ut eius adventu per aerem procellosa vis ymbrium expellatur.

17-20 MV³ 4.1.
20-25 . . .apparet, MV³ 4.2.
24 Virg. *A* 4.701.
27-34 MV³ 4.2.
34-41 MV³ 4.6.

20 Ydrem] *corr. in marg.*
29 Taumantos] *MV³*: θαυηαστὸς
32 qualiter] equaliter
36 erim] *MV³*: ἔριν
42-43 Inde. . .varietas *in marg.*

At illa misit Morpheum. 'Ille volat nullos strepitus facientibus alis Per tenebras intraque more breve tempus' [11.650-1] pervenit ad thalamum Alciones et representavit ymaginem Ceici tamquam in mari mersi, que videbatur dicere Alcioni: '"Nil opis, Alchione, nobis tua vota tulerunt! Occidimus! falso tibi me promittere noli. . . . Ipse ego fata tibi presens mea naufragus edo. Surge, age, da lacrimas!"' [11.661-2, 668-9], et meum infortunium deplorare curato. Filii Sompni: Morphea qui solos homines imitatur; Ithacon qui representat in sompnis feras, volucres, vel serpentes (hic etiam Febetona vocatur a vulgo); tertius Panthasos appellatur. Hic 'in humum saxumque undamque trademque, Queque vacant anima, fallaciter transit omnia' [11.642-3]. At illa excitata Sompno et quasi specie viri sui turbata inconsolabiliter doluit. Egressa mane, videt corpus Ceici ||124v| devolutum ad litus. Quod cum vellet tangere, versa est in avem alcionem dictam, et Ceix similiter, unde dicitur: 'Tandem superis miserantibus ambo Alite mutantur. . . . Tunc quoque mansit amor nec coniugale solutum est Fedus in alitibus; coeunt fiuntque parentes' [11.741-4], unde dicit Papias: Alcione que et alcedo avis maritima que pelago nidum facit. Tunc per septem dies mare non movetur. Hec medio fere hiemis tempus faciendis partubus habet deputatum. Ova in arenis deponit et per septem dies fovet educitque pullos, septemque alios iungit quibus adolescant. Tantam autem gratiam indultam hiis quatuordecim diebus habet hec avis ut in hiis nullos motus procellose tempestatis naute perhorrescant. Quos dies alcionidas vocant, unde Ovidius: 'Perque dies placidos hiberno tempore septem Incubat alchione pendentibus equore nidis. Tunc via tuta maris; ventos custodit et arcet Eolus egressu, prestatque nepotibus equor' [11.745-8], quia ipse fuit pater Alciones. Expositio:

Ceix quia submersus fuit fingitur esse mutatus in avem maritimam. Alcione quoque uxor eius in eodem mari, mori volens, pre tristitia in altum se precipitavit et se submersit, unde fingitur esse mutata in avem sui nominis. Que ut testatur Plinius de Naturali Historia in litore nidificant et in septem diebus sunt adulte, et tunc naturaliter quietum est mare.

CAPITULUM VIII.

Esachus filius Priami frater Hectoris 'oderat hic urbes nitidaque remotus ab aula' [11.764] montes coluit atque rura. Qui dum Hesperiem nympham diligeret, et illa eum fugeret, a colubro est percussa et infuso veneno confestim mortua. Cuius mortem ille tantum doluit ut de quodam scopulo voluit in pontum semetipsum precipitasse. Sed 'Thetis miserata cadentem Molliter excepit' [11.784-5] et mutavit in mergum, qui in aquis usque modo profunda frequenter petit temptans mergere semetipsum, unde dicitur 'Furit Esachon, inque profundum Pronus

65-71 . . .vocant, Papias, s.v. 'Alcyone.'

76-81 Arn. 11.9.

79 Plin. *NH* 10.32.

55 Ithacon] *i.e.* Icelos

56 Febetonia] *i.e.* Phobetor

57 Panthasos] *i.e.* Phantasos

abit letique viam sine fine ||125r| retemptat. . . . Equor amat, nomenque manet quia mergitur illi' [11.791-2, 795]. Expositio:

Quod Esachus amavit Hesperiem et quod scribitur de morte eius verum fuit. Cetera sunt figmenta. Quia Esachus in avibus celi ludens et curam earum gerens, dum in quadam palude falconi suo naufraganti voluisset succurrisse, submersus est et ipse, unde fingitur mutatus in mergum.

12-15 Quia. . . Arn. 11.10.

Explicit Liber Undecimus

LIBER XII

Liber duodecimus continet quatuor fabulas principales. Prima fabula inducit Grecos post arreptum iter ad Troiam delendam sacrificasse in Aulide ubi draco devoravit octo pullos cum matre eorum, et ut ipse serpens versus sit in saxum, et incipit ab hoc loco: 'Hic patrio de more Iovi' [12.11]. Et quia fit mentio in principio huius libri de Paride, quedam de eius nativitate et fortuna huic fabule preposuimus que legentes edificare poterunt, ut putamus. In premissa fabula tangitur quomodo Effigenia fuit adducta, ut in Diane sacrificio macteretur, que incipit in hoc loco: 'At non Testorides' [12.27], id est Calcas.

Secunda fabula de Cigno mutato in avem sui nominis, que mutatio incipit in fine fabule in hoc versu: 'Arma relicta videt' [12.144]. In hac fabula continetur auctoris ymaginatio valde subtilis de loco rumorum [12.39-63] et de pugna singulari inter Achillem et Cignum [12.72-145].

Tertia fabula de Ceneo mutato de femina in virum fortissimum et ex post in avem fenicem, incipit ab hoc versu: 'Cum sic Nestor ait' [12.169].

Quarta fabula agit de nuptiis Pirithoi et Ypodanes et pugna Centaurorum. Hec incipit ab hoc loco: 'Duxerat Ypodanen' [12.210]. Tandem sequitur finaliter mutatio Cenei in avem ab hoc loco: 'Exitus in dubio est' [12.522]. In hac fabula tangitur de Periclemene verso in aquilam ab hoc versu: 'Mira Periclemeni' [12.556]. Infertur etiam in hac fabula ut Neptunus oravit Apollinem ut Achillem occideret sagitta Paridis, quod et factum est, et sic incipit: 'At deus, equoreas' [12.580]. ||125^v|

CAPITULUM I.

'Nescius assumtis Priamus pater Esachon alis Vivere lugebat; tumulo quoque nomen habenti' [12.1-2], et non corpus, inferias dederat. Sed 'Defuit officio Paridis presentia tristi' [12.4]. Hic est Paris, qui alio nomine dicitur Alexander, qui fuit causa subversionis Troianorum, huius mater fuit Heccuba regina Troianorum Priami regis uxor. Que cum pregnans esset vidit in sompnis quod facem igneam pariebat. Ex qua visione cognitum fuit per prophetias quod iste erat propter quem Troiam succendi, et destrui oportebat. Priamus ergo timens eum occidi iussit. Sed mater, illum latenter nutriendum, dedit pastoribus in Yda silva. Qui adultus quendam taurum sibi vendicans, coronam sibi fecit. Sed Mars in taurum conversus, taurum ipsius vicit. Cui Paris coronam tauri sui in signum victorie dedit. Propter quod apparitor iudicii dictus fuit, qui alias Alexander dictus erat. Hic ergo ex post electus est iudex inter deas de pulcritudine concertantes. Cuius fabule origo talis fuit: Iupiter cum Thetidem amaret prohibitus est a Protheo deo marino cum ea concumbere ne quem generaret qui eum regno

6-13 PB 12.1.
15-25 Iupiter. . . MV^3 11.20.

2 quoque] que
12 apparitor] *PB*: a paritate

expelleret. Ille persuasus, Peleo eam dedit uxorem. Quorum nuptiis ipse cum diis et deabus omnibus excepta Discordia interfuit. Igitur Discordia irata malum aureum in medio trium dearum, Iunonis, Palladis, et Veneris, iecit, in quo scriptum fuit: Pulcherime donum. Ille igitur de forme excellentia contendentes, Iovis iudicium elegerunt. At Iupiter, nolens duas offendere si tertiam preferret, eas ad Paridem transmisit iudicandas. Qui cum Iuno sibi regnum, Pallas virtutem polliceretur, ille tamen, victus voluptate cum Venus sibi promitteret Helenam, Venerem pulcherimam iudicavit. Porro Peleo et Thetide Achilles natus est, cuius actus noti sunt. Antiqui igitur Thetidem dici voluerunt aquam, quam Iupiter quasi deus coniungit Peleo. Pelos enim grece lutum interpretatur. Ergo terram cum aqua mixtam genuisse volunt hominem. ||126^{r}| Ipsum Iovem <Thetidis> ferunt optasse concubitum, sed vetitum est ne se maiorem generaret. Quia ignis, id est Iupiter, si cum aqua coeat, aque virtute extinguitur. In coniunctione autem aque et terra, id est Thetidis et Pelei, Discordia sola non invitatur, quia concordia potius utrorumque elementorum fieri necesse est ut homo gignatur. In generatione denique hominis adesse Peleus ut terra, id est caro; Thetis ut aqua, id est humor, debet; Iupiter qui utraque coniungit ut ignis, <id est anima>. Ibidem autem tres dee concertant. Quam enim vitam sit electurus qui gignitur adhuc ignoratur. Philosophi namque tripartitam vitam hominum esse voluerunt. Primam theoricam, secundam practicam, tertiam philargicam asserentes. Quas latine contemplativam, activam, et voluptuariam vocaverunt. Theorica igitur sive contemplativa est quam agunt, qui a terrenis omnibus suspendentes animum, iugiterque sapientie archana investigantes soli contemplationi vacant. Hanc modo monachi antiquitus philosophi exercuerunt. Huiusmodi vite sectatores nulla mundanorum cupiditas, nulla iracundie insania, nullum livoris toxicum, nullus tangit vapor libidinis. Sed tantum indagande veritatis contemplandeque iustitie cura macerat, fama ornat, pascit spes. Practica vel activa est que in actionibus negotiisque consistit, que de vite tantum commodis geritur anxia, ornatus petax, habendi infitiata, rapiendi cauta, servandique sollicita. Que minus considerat quid expediat, ubi intercedit, quod rapiat. Hanc vitam apud antiquos tiranni aliquot penis nos omnis mundus gerit. Philargica sive voluptiva est que voluptati tantum obnoxia nullum honestum reputat bonum, solam vite appetens corruptelam. Ideo poete trium dearum ponunt certamina, id est Minerve, Iunonis, et Veneris, de forma sua contendentium. Theoricam per Minervam deam sapientie, Practicam per Iunonem que regnorum et divitiarum dea est, ||126^{v}| Philargicam per Venerem que voluptatibus preest, designantes. Has fingitur Iupiter nolle iudicare, ne preferendo unam, duas videatur condempnare; videretur namque arbitrii nostri destructa libertas, si quamlibet istarum trium vitarum nobis deus agendam, aliis duabus dampnatis, solam preponeret.

25-37 MV^{3} 11.21.
37-53 MV^{3} 11.22.
53-70 MV^{3} 11.23.

27 Pelos] *MV*^{3}: πηλὸς
29 Thetidis *add.*
36 id est anima *add.*
49 cauta] *MV*^{3}: cupida
50 intercedit] *MV*^{3}: intendit
53 solam] uam *corr. in marg.*

Ideo ad hominem iudicium transfertur, cui liberum eligendi datur arbitrium. Sed ille brutum quiddam desipiens more ferarum ac pecudum, non Minerve virtutem, non Iunonis divitias respiciens, ad libidinem visus intorsit, vitamque philargicam preelegit, sicut postea rei exitus indicavit. Quia vero omnes dii ad nuptias dicuntur convocati designat omnium elementorum compactione stellarumque concursu hominem procreari; sive quia putabant gentiles singulos deos singulas hominum partes optinere: Iunonem brachia, Neptunum pectus, Martem cingulum, renes et inguina Venerem, pedes Mercurium, Minervam digitos, aures etiam Memorie consecraverunt. Sic denique Achilles natus est quasi homo perfectus, quem mater in Stigiis aquis intingit, id est contra omnes labores muniit. Solum ei talum non intingit; hoc signante fabula quia vene que in talo sunt usque ad pollicem tendunt, et ad renum et femorum atque virilium pertinent rationem. Et Orpheus in talo esse principalitatem libidinis indicat. Ergo evidenter ostenditur quod humana virtus quamvis sit ad omnia communita, libidinis tamen virtutibus subiacet patula.

Cum Greci navigarent ad delendam Troiam impediti sunt per ventos contrarios immissos per Dianam, cuius cervam Agamenon interfecerat ignoranter dum in Aulide insula venaretur. Et responsum a diis acceperant deam non posse placari nisi sanguine filie regis et virginis. Adducta est ergo Ephigenia Agamenonis regis filia Diane sacrificanda. Cui dea compatiens ipsam de ara rapuit et loco eius cervam supposuit. Qua immolata prosperos ventos dedit. ||127r|

Dum Greci sacrificiis Diane essent intenti vident inopinate draconem iuxta illos ascendere platanum et octo pullos unius avicule consistentes in nido cum ipsorum matre devorare. Quo viso omnes obstupuerunt; tunc Calchas presagus futuri augur peritissimus: '"Vincemus" ait; "gaudete, Pelasgi! Troia cadet, sed erit mora longa nostri laboris"' [12.19-20], quia per novem volucres devoratos intelligo novem annos quibus nos perseveraturos in obsidione Troie video. Serpens ergo qui pullos devoraverat 'fit lapis et servat serpentis ymagine saxum' [12.23]. Expositio:

Serpentem qui pullos cum matre devoraverat Greci lapidibus interfecerunt, suffocantes et tegentes, unde fingitur esse mutatus in saxum, quia sub saxis obrutus postea non comparuit. Et per istud prenosticum omnes illud pro vero confirmaverunt, quod decimo anno vincerent. Yphigenia liberata est a sacrificio quia sacerdotissa Diane illi compassa eam amovit et inopinate pro ea cervam astare fecit ante aram.

CAPITULUM II.

Cignus fuit quidam miles fortis in Troiano exercitu qui nullo ferro poterat vulnerari. Hunc igitur Achilles persecutus est in bello donec impulisset eum super unum lapidem qui in campo fuit. Quem ibi

70-77 MV^3 11.24.
78-84 Cf. PB 12.3.
94-97 Arn. 12.1.

66 compactione] *PB*: cooperatione
75-77 Ergo . . . patula] *in recentiore manu*
76 virtutibus] *MV^3*: ictibus

1-5 Cf. PB 12.5.

clipeo genibusque premiens strinxit ad mortem. Quem cum despoliare voluisset armis, Neptunus vertit in cignum volucrem sui nominis. Expositio:

Cignus quia in auxilio Troianorum navibus venit vectus ideo filius Neptuni dicitur extitisse. Quem Achilles revera in mare cum lancea precipitem dedit. Cuius corpus, quia postea non invenit, cum in loco ubi erat mersus avem cignum videret, inventus est locus fabule quod in cignum erat mutatus.

7-11 Arn. 12.2.

11 quod] quia

CAPITULUM III.

Nestor senex ducentorum annorum, ut ipse testatur: ‘“vixi Annos bis centum; nunc tertia vivitur etas”’ [12.187-8], miranti Achilli de Cigno quod fuit sic imperforabilis, narravit de Ceneo milite fortissimo qui fuit natus femina sed ||127v| postea mutatus in virum. Sed dum esset femina et iuxta maris spatiaretur litora, a Neptuno fuit oppressa. Cui post deflorationem Neptunus dedit optionem ut peteret quicquid vellet. Que dixit, da michi de cetero nil tale posse pati; da femina ne sim. At deus mutavit eam in virum et dedit ne vulneribus posset fieri saucius. At ille ‘Muneribus letus abit, studiisque virilibus evum Peregit’ [12.208-9]. Expositio:

Ceneus puer a quodam nauta fuit amatus, unde fingitur amatus a Neptuno; sed postea mutatus est de patiente in agentem, unde dicitur de femina mutatus esse in virum; sed quia deinde bene operando bone fame opinione in altum evolavit, dicitur esse mutatus in avem. Sed potius in fenicem quam aliam, que est unica quoniam opere suo et tempora suo fuit unicus in virtute. De hoc videbis in sequentibus magis plene.

11-16 Arn. 12.3.

6 optionem] oppressionem *corr. in marg.*

CAPITULUM IV.

Pirithous filius Yxionis olim duxit Ypodamen. Cuius nuptiis interfuere de Hemonia multi proceres, et ipse Nestor senior cum Centauris. Affuit et Theseus famosus amicus Pirithoi, cuius mentionem faciunt multi poete. In hiis nuptiis Hymen diversa turba cecinit, quod est carmen nuptiale Himeneus, quia post nimiam petulantiam libido exerceri solet dicitur, vel est membrana que virginitatis est claustrum que puerperia facere dicitur. Inde Himeneus nuptiarum deus. Fuit enim Athenis adolescens tante pulcritudinis ut feminam putaretur. Hunc cum una ex civibus virgo nobilis mutuo amasset, ipse tamen mediocribus ortus nuptias parentibus desperabat. Cum ergo semel Attice virgines prope litus sacra celebrarent, subito piratarum adventu rapte et asportate sunt. Inter quas etiam Himeneus, qui in habitu muliebri amatam virginem sequebatur. Pirate vero in longinqua regione portum nacti ab insequentibus sunt interempti. Himeneus igitur relictis ||128r| ibi virginibus Athenas reversus, dilecte nuptias a civibus pactus

7-20 Fuit . . . MV[3] 11.3.

est si filias suas eis restituisset. Quas ut pro voto restituit, exoptatam duxit uxorem. Cui quia coniugium feliciter obtigit, optinuit ut nomen eius in nuptiis invocetur. Nempe Himeneum adolescentem, ut quidam dicunt, die nuptiarum ruina oppressum esse. Ideoque expiationis causa nomen eius in nuptiis invocari, sed hoc affirmat Servius falsum esse. Himenei tamen dicuntur iusti nuptiarum thori. Igitur ut ad nuptias revertamur Pirithoi, unus e Centauris Eurithus conatus est rapere novam nuptam. Alii Centauri hoc videntes et ipsi ceperunt rapere eas que aderant virgines et matronas. Igitur 'femineo clamore domus sonat' [12.226]. At Theseus ait: '"Que te vecordia, Eurite, pulsat" ait, "qui me vivente lacessas Pirithoum violasque duos ignarus in uno?"' [12.226-9]. Quibus dictis raptam furentibus aufert et Eurithum interfecit. Ceteri Centauri visa cede germani exardescunt in iram, 'Certatimque omnes uno ore "Arma! Arma!" loquuntur' [12.241]. Ibi multi Centaurorum sunt perempti. Pirithous occidit Petreium, Licum, et Chromim, et Elopum. Theseus etiam multos vita privat. Nestor etiam quosdam neci dedit. Ibi et Cillarus speciocissimus, cui 'Barba erat incipiens, barbe color aureus' [12.395], cui coma in humeros medios dependebat, qui etiam ea parte qua equus erat formosissimus habebatur. Qui fere fuit 'pice nigrior atra, Sed candida tamen cauda, et cruribus color quoque albus' [12.402-3]. Hic a quodam in hoc bello iaculo percussus ad cor interiit, uxor eius Hilonome dolens ob hoc inconsolabiliter telo incubuit quod illi inheserat, 'moriensque suum complexa maritum est' [12.428]. At Ceneus, de quo supra, iam quinque Centauros morti dederat. Quem residui Centaurorum et precipue Latreus ||128v| dehonestant. Latreus verbis Ceneum hiis improperat: '"Tu michi femina semper"' [12.470], eris Cenis. '"I, cape colum cum calathis et stamina pollice torque; Bella relinque viris"' [12.475-6]. Ceneus ira commotus Latreum peremit maxima difficultate. Tunc omnis in eum ruunt bimembres Centauri pariter, sed nil sibi nocere velebant. Tandem quia ipsum ferro non potuerunt occidere tantam lignorum struem super eum proiecerunt quod eum pondere peremerunt. Sed de medio aggere fenix avis evolavit. Aderat Mopsus vates, qui ut aspexit avem, '"O salve" dixit, "Lapithee gloria gentis, Maxime vir quondam, sed avis nunc unica, Ceneu!"' [12.530-1]. Expositio superius est.

Periclimenus frater Nestoris dicitur potuisse se vertere in quascumque figuras voluisset. Hercules vero occisus prius decem fratribus eius, filiis videlicet Nelei, tandem eum versum in aquilam interfecit sagittando ad eum et frangendo ale sue iuncturam. Expositio:

Periclimenus cum Hercule dimicans velocissime fugit, unde fingitur mutatus in aquilam que velocissimi et alti volatus est. Sed tamen eam volantem, id est fugientem, Hercules sagitta consecutus est.

Neptunus orat Apollinem ut Achillem occidat. Qui sagitta manu Paridis direxit qua peremptus est Achilles: 'Victus es a timido Graie

20 Serv. *A* 1.651.
39 Cf. supra, 12.3.
50 Cf. supra, 12.3.

raptore marite! At si femineo fuerat tibi Marte cadendum, Termodontiaca malles cecidisse securi' [12.609-11].

Cum Greci mille navibus ad Troiam capiendam venissent Frigiam, fatatum fuit quod qui primo terram cepisset ibidem occideretur. Prothiselaus primus exivit e navibus et occisus est. Quod cum audisset Laodamia uxor eius, qui domi apud Philacidem remanserat et viri ymaginem in eius memoriam sibi facerat, ymaginem amplexata expiravit.

Helena restituta Menelao viro suo post destructionem Troie debuit immolari ad expiandum crimen uxoris †Hectoris Herculis†, quia cum filiis concubuerat. Sed ipsam Iupiter rapuit ||129r| et in celo in stellam pessimam transmutavit, que adhuc periculum navigantibus minatur, sicut viva fuit causa periculi Grecis et Troianis preliantibus. Fama est cum Paris fuisset hospitio susceptus Menelai commisit adulterium. Deinde cum Helena sollicitata eum sequi noluisset, egressus civitatem Spartem obsedit. Qua eversa Helenam rapuit, unde et illa post Troianum excidium recipi meruit a marito.

De Iove et Leda nati sunt Pollux et Helena, de Tyndaro et Leda Castor, qui solus mortalis fuit, cum quo immortalitatem suam Pollux frater eius partitus est. Helenam vero immortalem fuisse indicat tempus. Nam constat fratres suos cum Argonautis fuisse. Argonautarum filii cum Thebanis dimicaverunt. Rursum illorum filii contra Troianos bella gesserunt. Si ergo Helena immortalis non fuisset, tot sine dubio seculis durasse non potuisset. Hanc autem legimus prius a Theseo raptam et in Egipto Protheo commendatam.

Explicit Liber Duodecimus

62-67 PB 12.4.

68-70 Fons ignotus; cf. MV[2] 132; MV[3] 3.8; Serv. *A* 11.262.

70-76 MV[3] 3.8.

77-79 . . . est, MV[3] 3.7.

79-84 MV[3] 3.8.

60 Termodontiaca] *in marg.*: id est Amazon

73 noluisset] voluisset

LIBER XIII

Liber tertius decimus habet octo fabulas principales. Prima narrat causam Aiacis contra Ulixem et Aiacem superatum et ideo semetipsum perimentem, de cuius sanguine nata est herba inscripta suo nomine. Causa prolixe tractatur et inchoat librum presentem sic: 'Consedere duces' [13.1]. Mutatio sanguinis Aiacis in florem incipit ab hoc loco: 'Hectora qui solus' [13.384].

Secunda fabula de Heccuba versa in canem incipit ab hoc loco: 'Clade sui Trachum gens irritata tyranni' [13.565]. Multa tamen premittuntur historialiter, scilicet de morte flebili Polixene et de nece proditiosa Polidori filii Priami, quem Polimestor immisericorditer iugulavit.

Tertia fabula agit de Memnone, cuius faville verse sunt in aves Memnonides, incipit ab hoc loco: 'Non vacat Aurore' [13.576]. In hac fabula introducitur quod lacrime Aurore verse sunt in rorem in hoc versu: 'Luctibus est Aurora suis intenta piasque' [13.621].

Quarta fabula de filiabus Anii versis in columbas, que quicquid tangebant verterunt ||129v| in segetes, laticesque meri, bacchamque Minerve, incipit ab hoc loco: 'Dedit altera Liber Feminee sorti' [13.650-1]. De mutatione earundem in columbas ab hoc versu: 'Iamque parabantur' [13.667].

Quinta fabule de filiabus Orionis pro re puplica sacrificatis. De quarum cineribus orti sunt duo iuvenes vocati Corone, incipit in hoc loco: 'Illam demisso' [13.694]. In hac tangitur fabula de quodam deorum iudice verso in saxum ab hoc loco: 'Preter erant vecti: certatam lite deorum Ambrachiam versique vident sub ymagine saxum Iudicis' [13.713-5]. Ambrachia est prima civitas Egipti ubi fuit gigantomachia et certamen inter Panem et Apollinem. Nempe cum omnis dii contra Ambrachiam fecissent, certaverunt quis eorum principaliter regere deberet, unde sibi mortalem iudicem delegerunt qui statim Apollini dedit illam, unde irati dii ceteri eum in lapidem mutaverunt.

Sexta fabula de Aci et Galathea et ut Poliphemus Acin obruit et vertit in fluvium sui nominis incipit in hoc loco: 'Acis erat fauno' [13.750].

Septima fabula introducit cantum Poliphemi et finaliter mortem Acis, que incipit in hoc versu: 'Terga fuge dederat' [13.879].

Octava fabula de Glauco et Scilla introducit ut Glaucus sit mutatus in piscem et deum marinum ab hoc loco: 'Desierat Galathea loqui' [13.898].

CAPITULUM I.

'Consedere duces et vulgi stante corona, Surgit ad hoc clipei dominus septemplicis Aiax' [13.1-2]. Iste liber agit de causa inter Aiacem et Ulixem pro armis Achillis que Aiax vendicavit ab Ulixe, vel pro

armis Minerve, scilicet Palladio, quod Ulixes rapuit de templo Minerve. 'Bella movet clipeus, proque armis arma feruntur' [12.621], ubi Aiax prefert se Ulixi nobilitate, dicens se Thelamonis filium, 'Menia qui forti Troiana sub Hercules cepit' [13.23]. Cui pater fuit Eacus. Quem Iupiter genuit et 'sic a Iove tertius extat Aiax' [13.28]. In improperium vero Ulixis dicit eum cretum sanguine Sisiphio. Hic Sisiphus unus fuit e filiis Eoli, in furto et fallaciis expertissimus, ||130r| qui habebat matrem Ulixis Auctoliam ante Laertem, et ideo eius filium dicit, non Laertis. Nauplius fuit pater Palamedis. Amimone filia Danai de venatione veniens dum ludendo iacula exerceret, nescia iaculo quendam Satirum percussit. Quam cum Satirus violare vellet, Neptunus ei precauti ferens auxilium vitiavit eam, de qua natus est Nauplus pater Palamedis. Iste Palamedes, cum per Greciam milites eligeret contra Troianos, Ulixes simulavit se furiosum quia illuc ire nolebat. Nam Ulixes cepit terram arare et sal seminare. Palamedes ergo posuit filium Ulixis in via aratri. Quod videns, Ulixes vertit aratrum ne puerum lederet, vel ut quidam volunt, suspendit aratrum. Sicque deprehendit Ulixis fallaciam, et eum secum ad bellum duxit, unde dicit: 'Utinam aut verus furor ille, aut creditus esset, Nec comes hic Frigias umquam venisset ad arces' [13.43-4]. Ob istam causam semper Palamedem odivit Ulixes.

Cum Greci in obsidione Troiana victualium copiam non haberent, in decimo anno Ulixem frumentatum miserunt. Qui rediens, nichil advexit. Et cum a Palamede vituperaretur, Ulixes insidias ei tetendit et dixit eum esse mittendum ad frumenta querendum. Qui missus advexit magnam copiam frumentorum. Tunc Ulixes gratias fictas agens, proditionem finxit per epistolas quasi ex parte Priami missas Palamedi, ut Grecos proderet, vel ut aurum redderet quod sibi miserat sub hoc pacto. Occiderat enim unum captivum super quem iste epistole sunt invente. Epistole more militie delate sunt ad regem et coram militis lecte Ulixes, inter hac simulavit se favere Palamedi, et dixit: Queratur aurum in suis tentoriis. Que quesito et invento, quod Ulixes ibi ante prefoderat, lapidatus est Palamedes ab exercitu Graiorum.

Philoctetes Peantis filius armiger Herculis, cui ||130v| Hercules suas dimisit sagittas, ut et facem rogo eius imponeret et postea nulli sepulcrum eius ostenderet, quod eum iurare coegit. Sed cum responsum esset ad ruinam Troianam opus esse sagittis Herculis, idem ab Ulixe quesitus repertus est. Qui cum primum nollet ostendere sepulturam Herculis, tandem coactus locum pede percussit. Postea ad bellum proficiscens cum sagittas tractaret unius casu pedem sibi vulneravit. Greci ergo cum eum diutius secum nequirent ducere pre fetore, ad sanandum vulnus in Lempno insula, Ulixis consilio, reliquerunt.

Ulixes sua facundia obtinuit causam contra Aiacem et tulit arma Achillis et Palladium iudicio procerum et totius vulgi. Ob quam cau-

12-20 Nauplius. . . , *25-36* cf. MV^{2} 200.

37-45 Cf. MV^{2} 165.

46-51 Cf. Arn. 13.1.

17 qui

sam Aiax se proprio gladio interfecit. Sed nichilominus fama eius floret. Et ideo fingitur cruro eius mutatus in florem sui nominis, quia in multis locis scripturarum nomem eius inventur scriptum. Ideo dicitur nomen eius in flore esse signatum, vel melius ut dicit Ovidius: 'rubefacta sanguine tellus Purpureum viridi genuit de cespite florem, Qui prius Ebalio fuerat de vulnere natus; Litera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis: hec nominis, illa querele' [13.394-8]. Ebalius ipse est Yacinctus qui fuit de Ebalia; litera communis, id est sillaba. Nam si legatur in ordine 'ia,' *Ia*cincti est prima sillaba. Si a posteriori litteratur, ut dicatur 'ai,' *Ai*acem significat. Hec, id est 'ia,' nominis. Illa, id est 'ai,' querele, que interiectio dolentis videtur esse, vel e converso, 'ai,' nominis, 'ia' querele; ut littera communis, id est 'Y' littera que in flore illo est, que in Yacinctus potest esse prima littera si recte aspiciatur. Si ab inferiori videtur esse 'A,' que est prima littera in Aiax.

CAPITULUM II.

Heccuba in canem dicitur esse mutata, unde Ovidius: 'Priameia coniux Perdidit infelix hominis post omnia formam Externasque novo latratu terruit aures' [13.404-6]. Expositio:

Heccuba in canem dicitur esse conversa quia pre nimio dolore insanivit in sua senectute, sicut faciunt canes cum ||131r| senescunt rabiosi facti, quoslibet obvios mordent et perimunt. Pari modo Heccuba, cum vidit Polixenam filiam suam mactari ad sepulcrum Achillis, in Grecos irruit et eos confusis vocibus insectabatur, que fuerunt similes canum latratibus.

Lempniades, id est mulieres de Lempno insula, viros suos interfecerunt, unde dicitur: 'Et veterum terras infames cede virorum' [13.400]. Lempniades diis litantes Venerem postposuerunt, unde ipsa irata immisit eis fetorem hircinum. Quarum viri nolentes pati fetorem, patriam exeuntes per biennium bellum Tracie gesserunt. Quare indignantes uxores, et pro desiderio concubitus quo carebant, ad iram concitate sunt et in suorum virorum perniciem coniuraverunt. Impleta autem coniuratione sola Ysiphile patri suo pepercit, ob quam causam postea exulavit relictis ibi filiis suis Euneo et Thoante.

4-6 Arn. 13.2.
12-18 Cf. MV² 143.

CAPITULUM III.

Memnon filius Aurore dicitur extitisse quia fuit rex Ethiopie, que regio est versus auroram in oriente. De cuius rogo faville evolantes mutate sunt in aves que dicuntur Memnonides. Quod ideo fingitur quia, ut dicit Plinius de Naturali Historia, quedam aves sunt in terra illa que in certo tempore anni cuiusque, accenso igne, a seipsis facta strue thuris aliarumque aromatum et specierum, ignem circumvolantes tandem decidunt in ignem et pereunt, et alie postea de favillis creantur. Expositio:

1-7 Arn. 13.3.
4 Plin. *NH* 10.26.3

9-10 Cf. Arn. 13.4.
10-13 Solinus 40.19.
15 meminere] minerve, *corr. in marg.*: memnere

Quod Aurora lacrimata est pro Memnone et lacrime eius in rorem sunt converse significat quod aurora oriente apparet ros in mane. Memnonides sunt aves appellate a loco ubi Memnon periit, qui ad sepulcrum eius omni quinto anno catervatim dicuntur venire et illud biduo circumvolare et postea se unguibus dilacerare, ut dicit Solinus; unde Ovidius: 'Bella gerunt rostris et aduncis unguibus iras. . . . Seque viro forti quondam meminere creatas' [13.613, 616].

CAPITULUM IV.

3-11 Arn. 13.5.

Anius fuit rex Delos insule et sacerdos Phebi ad quem Eneas post excidium Troie cum patre suo Anchise navigavit. ||131v| A quo ambo honorifice sunt suscepti. Qui narravit eis de mutatione filiarum suarum in columbas, que primo quicquid tetigerunt verterunt in cererem, vinum, et oleum. Quod ideo fingitur quia quicquid nummorum habebant totum pro cerere, vino, et oleo dabant. Has Agamenon cum Troiam obsideret exercitum suum pascere de rebus suis iussit, quia divites reputabantur. Sed ipse fugerunt, unde dicuntur mutate in aves. Et in columbas potius quam alias quia columbe aves Veneris sunt. Et ille fugerunt in Ciprum insulam que est sacrata Veneri, et ibi colitur specialius.

CAPITULUM V.

1-6 . . .earum, Arn. 13.6.

Cum Thebe nimia siccitate laborarent, filie Orionis ex solis caloribus perierunt, unde dicuntur pro re puplica interisse. Que cum honorifice sepelirentur, instituti sunt ludi etiam super tumulos earundem in quibus duo iuvenes pre ceteris victoriam optinentes sunt coronati, unde inventus est locus fabule quod duo Coronide nati sunt de tumulo earum, unde Ovidius: 'Tum de virginea geminos exire favilla, Ne genus intereat, iuvenes, quos fama Coronas nominat, et cineri materno ducere pompam' [13.697-9].

CAPITULUM VI.

1-10 Arn. 13.7.
6 a *add.*
7 Divinis] diutius, *corr. in marg.*

Galathea nympha Polifemum contempnens amabat Acin. Sed Polifemus Acin obruit, ita quod in aquam sui nominis mutatus fuit. Galathea interpretatur candida deitas a galat quod est candidum et theos quod est deus. Candida ergo deitas Acin, id est curam, amat; acis enim interpretatur cura; Polifemum vero qui diligit plures feminas a polis quod est pluralitas et femos quod est corrupta <a> femina. Divinis siquidem vacantes pluralitatem feminarum contempnunt et curis vacant. Sed Polifemus, id est pluralitas feminarum, tandem Acin interficit, id est defluere facit curas, unde dicitur Acis in aquam esse mutatus.

CAPITULUM VII: *Hoc capitulum omissum est in ms.*

CAPITULUM VIII.

Glaucus amavit Scillam nympham. Qui cum piscator esset et multos quodam die pisces ||132r| cepisset et ad terram traxisset, ceperunt pisces mox ut attigerunt herbam reviviscere, et unus post alium in mare se precipitare. Contigerant autem quandam herbam que eis vitam reddidit. Glaucus vero admirans virtutem herbe cepit herbam mordere et de succo gustare, et illico in piscem mutatus est et in mare saltavit et deus marinus factus est, habens humanam formam in anteriore parte corporis, in posteriori vero formam anguille. Expositio:

Glaucus piscator erat et marinas anguillas ceperat. Que cum in terram fuissent tracte et de reti solute, sub magne celeritate repserunt ad mare. Quas ille incautius insequens dum inter fluctus eos temptat comprehendere, a fluctibus est comprehensus et obrutus et submersus. Terra vale, dixit, corpusque sub equora mersit. Ideo fingitur factus esse deus marinus quia postea non comparuit.

9-14 Cf. Arn. 13.8.

Explicit Liber Tertius Decimus

5 Cicropis] *i.e.* Cercropis

28 Hunc

LIBER XIV

Liber quartus decimus habet sedecim fabulas principales. Prima de Scilla et Glauco, mutata in canem a medio sui corporis, inchoat librum presentem. Finis fabule est quod Scilla spoliavit Ulixem suis sociis quem Circes dilexit, sed postea mutata est in saxum.

Secunda fabula de Cicropis versis in simias incipit ab hoc loco: 'Quippe deum genitor' [14.91].

Tertia fabula narrat ut Ulixes accepit ventum ab Eolo rege ventorum in utribus, et ut fractis utribus eius socii ventis sunt destituit, et incipit ab hoc loco: 'Tu quoque pande tuos' [14.221].

Quarta fabula narrat Ulixis socios mutatos per Circen in formas varias et iterum in formas proprias esse conversos per eandem, et incipit ab hoc loco: '"Moneo, fuge litora Circes!"' [14.247].

Quinta fabula de Pico mutato per Circen in avem sui nominis incipit ab hoc loco: 'Annua nos illic' [14.308].

Sexta fabula narrat quod socii Pici mutati sunt ab eadem Circe in figuras varias in hoc loco: 'Interea comites clamato sepe per agros' [14.397].

Septima fabula narrat ||132v| de Canente uxore Pici, que evanuit in fluvium Tyberim, evanuit pre dolore; incipit in hoc loco: 'Presserat occiduus' [14.416].

Octava fabula narrat socios Diomedis, ob convicia dicta in Venerem, in aves mutatos similes cignis ab hoc loco: 'Talibus iratam Venerem' [14.494].

Nona fabula narrat ut Appulus pastor insultaverit nymphis et ideo versus sit in oleastrum, et incipit ab hoc versu: 'Hactenus Eonides' [14.512].

Decima fabula narrat naves Enee a Cybele mutatas in nymphas marinas ab hoc loco: 'Hinc ubi legati rediere, negata' [14.527]. In hac tangitur fabula de navi Alchinoi Greci mutata in saxum per nymphas in hoc loco: 'Et letis videre regiscere puppim' [14.564].

Undecima fabula narrat quod cineres Ardee civitatis incense converse sunt in avem ardeam in hoc loco: 'Cadit Ardea, Turno' [14.573].

Duodecima fabula de deificatione Enee incipit ab hoc loco: 'Ambieratque Venus superos' [14.585].

Tertia decima fabula de Vertumpno adamante Pomanam et se vertente in diversas figuras. De Pomana sic incipit fabula: 'Iamque Palatinus' [14.622]. De Vertumpno sic: 'Sed enim superabat amando Hos quoque Vertumpnus' [14.641-2].

Quarta decima fabula habet Yphim amantem Anaxarethem et ipsam propter difficultatem suam mutatam in saxum, et incipit ab hoc loco: 'Viderat a veteris generosam sanguine Teucri' [14.698].

Quinta decima fabula habet Romulum deum factum vocatumque Quirinum, et incipit ab hoc verbo: 'Posita cum casside Mavors Talibus affatur' [14.806-7].

Sexta decima fabula habet Hersiliam uxorem Romuli versam in Horam, id est deam, et incipit ab hoc versu: 'Flebat ut amissum coniux' [14.829].

CAPITULUM I.

Scilla fuit puella pulcherima quam Glaucus deus maris dilexit. Que cum sibi nollet consentire conquestus est Circi incantatrici, rogans ut in favorem suum Scillam alliceret, ut eius copula frui posset. Circes vero amorem suum optulit Glauco et consuluit ut Scillam contempneret. Sed Glaucus Circen non respiciens eam contempsit. Quare Circes indignata fontem ubi Scilla se balneare consueverat ||133r| infecit veneficiis. Scilla vero cum ad balneandum se redisset ab inguine inferius in canem mutata fuit, et tamquam capita canina ibi latrantia habuit, et sic eam monstrum marinum fecit; vel secundum alios in maris periculam transformavit quod scilicet est lapis sub aqua ubi fluctus reverberati latratum faciunt, ad quod naves applicate sepissime confringuntur. Expositio:

Scilla ideo mutata in monstrum fuisse dicitur quia revera quoddam est periculum in mari monstruosum dictum a cillo, -es, quod est movere, quia in saxo quod superius est videtur habere faciem mulieris. Inferius habet foramina. Inque subintrantes fluctus assidue cillentur, id est moventur, que etiam latrare videntur, quod causant fluctus subintrantes. Ideo fingitur ab inguinibus habere canes. Alia expositio:

Scilla Forci et Creteidos nymphe filia <fuit>. Scille due fuerunt, e quibus filia Forci in nympham iuxta Siciliam versa fabulatur. Altera filia fuit Nisi regis, de qua supra locuti sumus. Scilla prior mulier pubetenus reliqua pars cuncta canibus et lupis, que dicebatur inter Siciliam et Ytaliam latere, que naves transeuntes trahebat in litus et ex eis homines arreptos suis canibus lupisque proiciebat. Scilla non marina, sed maritima, femina; nec succincta canibus, sed capax et rapax et inhospitalis fuit venientibus. Scillam ergo in Ytalia iuxta Siciliam accole saxum mari imminens appellant, simile procul videntibus forme predicte, unde et monstruosam faciem quasi hominis illi fabule dederunt succinctam caninis capitibus, quia collisionibus fluctus latratus videtur exprimere. Alia expositio de Scilla et Glauco:

Circe filia Solis fingitur quia clarissima meretrix fuit, et sole nichil est clarius. Hec libidine sua et blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini et voluptatibus darent operam. De eo quod Scillam mutaverit ista fabula ficta fuit. Scillam virginem pulcherimam Glaucus Antedone civitate natus, vel ut quidam voluit, Antedonis filius, adamavit. Hunc Circe Solis filia diligebat, ||133v| et ideo fontem in quo lavare solebat venenis infecit, ubi illa descendens ab inguine lupis canibusque infecta est. Veritas tamen longe alia est. Antedon contrarium videns, Glaucus luscus, Scilla confusio interpretatur. Ex ignavia enim et incuria non in rectum spectamus, non

1-12 PB 14.1.
13-18 Arn. 14.1.
21 Cf. supra, 8.1.
31-33 MV³ 11.7.
34-56 MV³ 11.8.

17 latrare] scillare, *corr. in marg.*
19 fuit *add.*
38 aliud

considerantes morum corruptionem et quod exinde procedat extrema perditio, et ex ea que sunt contraria virtuti et saluti, lippitudo animi et ignorantia nata Scillam amat; cum quilibet qui per huiusmodi vitia in insipientiam lapsus, libidini indulget que confusos reddit homines. Et merito luscus dicitur quia qui libidini operam dat cecus et insipiens reputandus est. Scille vero inguina lupis et canibus cincta sunt, eo quod mulieres virorum libidini servientes nequeunt meretriciam cupiditatem exsaturare ipsorum devorationibus; vel ipse voluptati dedite suam nesciunt a corruptoribus distrahi substantiam; unde Iuvenalis: 'Prodiga non sentit pereuntem femina censum.' Ipsum quoque Glaucus in monstrum, ut habet fabula, deformatur, quia libidinis impatientia non minor virilis sexus quam feminei est turpitudo perditioque sit utrisque. Circe Scillam odisse dicitur et transformasse, quia Circe manuum iudicium vel operatio interpretatur. Laborem autem manuum et operationem mulier libidinosa fastidit. Que libidini tandem aliquando renuntians, otia veneria transfert exercitationi. Per Scillam Ulixes nil lesus transiit, quia sapientem libido non vincit; unde et uxorem habuisse dicitur Penelopen castissimam, eo quod omnis sapiens pudicitiam servare nitatur. Ulixes Polifemum dicitur excecasse. Polifemus fuit vir prudentissimus, iuxta Servium, et ob hoc unum oculum in fronte, id est iuxta cerebrum habuisse dicitur, quia prudentia plus videbat. Verum Ulixes eum prudentia superavit et ob eum dicitur excecasse. Hinc et Polifemus merito, id est multe lucis dictus videtur; verum Ulixes eum superavit, ideoque eum cecasse fingitur. ||134^r| Idem etiam Ulixes quasi oleonsenos, id est omnium peregrinus dici meruit. Quia sapientia a rebus omnibus mundanis peregrinos facit. Hinc est quod Sirenes cantando deduxit ad mortem. Sirenes enim secundum fabulam fuerunt tres, partim virgines, partim volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Muse filie. Harum una voce, altera tibiis, tertia lira canebat. Primo autem iuxta Pelorum, post in Capharais habitaverunt. Que illectos suo cantu in naufragia deducebant. Per has transiturus Ulixes sociis aures cera obturavit et semetipsum malo alligavit illesusque pertransiit. Quod ille graviter ferentes, doloris impatientia mortue sunt. Sirenes igitur corporales illecebras evidenter designant, unde et nomen congruum meruerunt, eo quod per voluptates corporales ad se mentes quorumlibet trahunt. Siren namque traxio interpretatur, unde et arenarum tractus sirtes nuncupantur. Sapiens autem aures suorum obturat ne earum modulationes audiant, id est preceptis eos informat salutaribus ne secularibus deliciis implicentur. Ipse vero malo alligatus transit, id est virtuti innitens, licet mundanarum varietatum illecebras sentiat, eas tamen contempnens semper in patriam tendit vere beatitudinis. Eo autem digresso, dolore perierunt, eo quod in animo sapientis carnalis concupiscentia contempta emoritur. Nonnulli tamen has tres sorores pulcherimas meretrices fuisse contendunt. Que quia accedentes deduce-

49 Juvenalis 6.362.
56-91 MV^3 11.9.
60 Serv. *A* 3.636.

48 ipsorum] ipsum
50 Ipse
61 qua
65 oleonsenos] *MV^3* ὅλων ξένος
70 autem] acidem | illectos] illento, *corr. in marg.*
76 Siren] ciren; *MV^3*: Σείρῶ

bant ad egestatem, inde dicte sunt inferre naufragia. Volatiles pernices dici meruerunt, vel quia mentes amantium cito perdunt, vel quia meretricum amor citissime labitur. Gallinaceos pedes finguntur habere quia libidinis affectus quantamlibet possessionem inutiliter spargit. Quod canes et lupi nati esse finguntur ex Scilla significat quod loca ista monstris marinis plena sunt, et undarum ad saxa collisarum sonus latratum imitatur. ||134v|

CAPITULUM II.

Quia de Circe Solis filia mentionem fecimus ad rem in hoc loco pertinet et alias Solis filias enumerare, que quinque fuisse dicuntur, Veneri odibiles iuxta fabulas, quarum una est hec: Mars cum Venere furtim concubuisse dicitur. Quod Sol videns Vulcano prodidit. Ille adamantinis cathenis eos coeuntes ligans, diis omnibus turpiter iacentes ostendit. Venus iccirco dolens quinque Solis filias, Pasiphen, Medeam, Phedram, Circen, et Dircen detestabili amore succendit. Mars igitur complexu Veneris pollutus, id est virtus corrupta libidinis illecebris, Sole teste apparet, id est tandem veritatis indicio rea esse cognoscitur. Que quidem virtus allecta prava consuetudine fervoris constrictione ostenditur cathenata. Venus itaque quinque Solis filias, id est quinque humanos sensus luci ac veritati deditos, et ad variam rerum perceptionem datos, ut probant philosophi, quasi Solis fetus, hac corruptela obfuscatur. Nullus enim sensus est quem non suis illecebris voluptas inficiat. Congrua autem nomina filiabus Solis tribuuntur. Prima dicitur Pasiphe, id est omnibus apparens, ut visus. Visus enim nonnisi in medio posita contemplatur. Secunda Medea, id est nulla visio, designat auditum. Nulla enim vox est corporea. Tertia Circe, id est manuum iudicium, que per tactum accipitur. Quarta Fedra, id est afferens suavitatem, que significat odoratum. Quinta Dirce, que acre iudicans interpretatur. Est enim gustus saporis iudex.

3-21 Mars. . . MV3 11.6.

CAPITULUM III.

Cum Ulixes navigaret versus Troiam accepit ventum ab Eolo rege ventorum quem inclusit in utribus, cuius virtute vehebatur ad portum. Socii autem sui aurum putantes esse in utribus, ipsas apperiunt ex mox vento vanescente naves retrocedere ceperunt. Iste Eolus rex fuit novem insularum. Ex quarum nebulis et vulcanie insule fumo futuras predixit motiones ventorum. Propter quod ab imperitis creditus est ventos in sua potestate tenere. Sunt autem iste insule post fretum Sicilie, que ab ipso Eolo ||135r| rege Eolie appellantur, licet propria habeant vocabula vocantur et Ypote ab Ypoto filio Eoli. Phisica autem ratione Eolus in antro residere dicitur, quia naturale est ut loca concava plena sint ventis. Regnum enim ei Iuno dedisse dicitur, quia motus Iunonis, id est aeris, ventos creat, quibus Eolus preest. Regnavit autem specialius in insula

1-13 PB 14.5.

que Strongile nominatur. Solinus: Hec vergit ad ortum solis minime angulosa. Ex cuius fumo incole presentiscunt quinam flatus in triduo pertendat. Quo factum est ut Eolus rex ventorum crederetur. Quod Ulixes accepit ventum in utribus potuit fieri per artem magicam, sicut solebat fieri per mulieres Scoticas, que ventum vendebant per filum glomeris, ut explicata parte parva fili, naute parvum ad vota ventum perciperent. Explicata vero ampliori parte fili de glomere ventum acciperent ampliorem. Et mirum valde quod duo qui diversos ventos optaverant et a maleficis talia fila coemerant, simul et semel varios portus sive terras adire possent, ita quod si unus ad orientem tendere affectaret ventum plenum acciperet, et qui ad occidentem ventum plenum similiter.

CAPITULUM IV.

Ulixes cum per mare navigaret misit quosdam de suis ad insulam ubi Circe regnabat ut victualia acciperent. Hec, ut dictum est superius, fuit maga et venefica que, ut vidit Ulixis socios, cum gaudio visa est eos recipere et ad mensam fecit discumbere. Dum autem bibissent de potu veneficiis infecto, repente ceperunt corpora eorum horrescere, setis indui et porcorum formam induere, et tandem in porcos sunt transformati et a regina Circe cum porcis reclusi. Ulixes videns socios non redire, pro sociis repetendis domum regine intrat. Cui cum Circe offerret potionem noluit bibere, ac sic evasit periculum mutationis. Cum ergo ipse esset sapiens et astutus ac facundus eloquio, sic cum Circe contulit quod ipsa ipsum in maritum cepit. Atque tali modo fecit eam revocare sociis suis formam ||135v| humanam. Et cum tandem per annum ibidem mansisset ad patriam cum suis remeavit, ipsamque pregnantem de Thelogono dereliquit. Qui ex post ipsum Ulixem patrem suum ignoranter occidit. Ista licet hic ponantur pro fabula, tamen secundum Augustinum de Civitate Dei non videntur fabulariter scripta, sed historialiter. Nec mirum si in illo tempore tunc illa magice potuere fieri, ut homines in bestias viderentur transformari, cum in temporibus Christianis, ut refert Malmesbiriensis, duo anus sedentes iuxta viam vertebant homines, vel saltem apparere fecerunt porcos et alia varia animalia. Que tandem deprehense sunt et coram Papa Leone convicte et incendio condempnate. Quidam dicunt quod Ulixes acceperit florem album a Mercurio per quem Circis pocula malitiasque devitavit. Mercurius dicitur mercatorum kirios, id est deus. Et ideo fingitur deus prudentie quia mercatoribus maxime necessaria est prudentia. Mercurius autem Ulixi dederat florem album, id est facundiam, qua florebat, per quam ipse sic Circe complacuit quod scilicet Ulixem magis quam alios adamavit. Et nos moderni, iuxta nostram linguam Anglicanam, cum audimus eloquentem, dicimus quod hic habet alba verba, pro videlicet eloquentia albo flore.

13-15 Solinus 6.3.

13-15 Solinus. . .pertendat] *post* fili [18], *transponendum est in marg.*

1-17 PB 14.6.
2 Cf. supra, 14.1, 2.
16 Aug. *CD* 18.17.
19 Malmesburiensis 2.171.
23-25 MV³ 9.1.
25-29 Arn. 14.3.

18 cum] in, *corr. in marg.*
24 kirios] *MV³*: *κύριον*

Transformatio sociorum Ulixis creditur a multis veraciter contigisse. Varro enim est illius opinionis, ut patet de Civitate Dei, libro duodevicesimo.

Penelope filia Ykari uxor Ulixis, casta valde, procos arrogantissimos eam habere volentes decepit, qui se promittebat eis nubere cum telam quam texebat complere potuisset. Ipsa tamen quicquid de die texebat de nocte detexebat, et sic viginti et amplius annis se castam servabat marito suo, unde dicitur: 'Penelope mansit, quamvis custode carebat, Inter tam multos intemerata procos.'

Saturnus exosus fraudes et periuria Cicropum eos convertit in simias, 'ut idem Dissimiles homini possent similesque videri' [14.93-4]; quod ideo fingitur quia derisores fuerunt et os et nares cachinando distorserunt ||136r| mirabiliter deridendo, vel quia ibidem capiuntur simie habitantes in montibus. Cui videtur consentire Ovidius, ita dicens: 'Totaque velatos flaventi corpora villo Misit in has sedes' [14.97-8].

CAPITULUM V.

Cum plures fuerunt Sibille, scilicet decem secundum aliquos, ea tamen que dicta est Cumea diutissime vixit, scilicet mille annis, unde dicitur de Enea 'Litora Cumarum vivacis antra Sibille Intrat [14.104-5]. Ipsa nempe narravit Enee quod cum esset iuvencula et Phebus suam virginitatem optaret et iccirco preces et dona promitteret sibi, dicens: '"Elige" ait, "virgo Cumea, quid optes: Optatis potiere tuis"' [14.135-6]; illa plenum pugillum de terre pulvere sumens petiit tot sibi dari vite annos quot erant ibi parva corpora pulveris. Mille siquidem ibi fuere corpora et illa vixit postea mille annis. Ad istam ergo venit Eneas rogaturus ut ei patrem suum Anchisem nuper mortuum demonstraret. Cui respondit: '"Pone tamen, Troiane, metum; potiere petitis, Elisiasque domos et regna novissima mundi Me duce cognosces simulacraque cara parentis"' [14.110-2]. Duxit ergo eum ad infernales domos incolumem et reduxit. Igitur 'Eneas et formidabilis Orci Vidit opes thalamosque suos umbramque senilem Magnanimi Anchise' [14.116-8], patris sui. Cumque redisset Eneas ex inferis gratias egit Sibille et recessit. Et navigans per insulam in qua Polifemus habitavit, iamdudum ab Ulixe cecatus, invenit ibi Achimenidem, unum e sociis Ulixis relictum, qui enarravit Enee et Naritio Machareo, qui et unus extiterat de sociis Ulixis et tunc forte cum Enea fuit, omnes casus Ulixis qui sibi accederant dum ipse sequebatur Ulixem, videlicet qualiter Polifemus devoravit socios suos duodecim, unde dicit: '"vidi viva meorum Ter quater affligi sociorum corpora terre, Que super ipse iacens, hirsuti more leonis, Visceraque et carnes cumque albis ossa medullis, Semianimesque artus avidam condebat ||136v| in alvum"' [14.205-9]. Tunc Naritius enarravit Achimenidi et Enee casus quos ipse pertulit cum Ulixe postquam Achimenidem in Sicilia reliquissent cum Polifemo excecato,

32 Aug. *CD* 18.17.
38-39 Ovid. *Am* 3.4.23-4.
40 Cicropum] *i.e.* Cercopum

videlicet de utribus vento repletis per Eolum, de quo supradiximus. Et de Antiphate rege Lestrigonum, qui submersit omnes naves Ulixes preter illam in qua ipse fuit cum Ulixe. Et de Circe quomodo mutavit socios Ulixis in porcos, ex quibus ipse Naritius unus fuit. Et quod Mercurius dederat florem album Ulixi, per quem ubique tutus fuit, unde dicit Ovidius libro quarto decimo: 'Pacifer huic dederat florem Cillenius album; Moli vocant superi, nigra radice tenetur; Tutus eo monitisque simul celestibus intrat Ille domum Circes. Et ad insidiosa vocatus Pocula conantem virga mulcere capillos Reppulit et stricto pavidam deterruit ense. Inde fides dextreque date thalamoque receptus Coniugii dotem sociorum corpora poscit' [14.291-8]. Et subiunxit de se et sociis suis ad figuram pristinam restitutis. '"Spargimur innocue succis melioribus herbe Percutimurque caput converse verbere virge, Verbaque dicuntur dictis contraria verbis. Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati Erigimur, seteque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes, redeunt humeri et subiecta lacertis Brachia sunt. Flentem flentes amplectimur illis"'—id est brachiis—'"Heremusque ducis collo"' [14.299-306] et gratias agimus pro nostra reformatione. Harum expositio in precedentibus habetur plenius. Expositio:

28 Cf. supra, 14.3.

47 filia *in marg.*

Circe Solis filia secundum fabulam socios Ulixis vertit in bestias; sed secundum veritatem meretrix fuit et amatores suos fecit quasi insanos; vel ut quidam volunt, disputatrix fuit acerima et vincebat omnes qui eam aggrediebantur et dicebat alii: imperitus es, nichil discas ab reso, et hinc tu quidem canis quia latrare didicisti; et alteri: tu vero lupus es et ululas; et sic de ceteris.

CAPITULUM VI.

Caribdis fingitur fuisse quedam meretrix que boves Herculis est furata. Quapropter ipsam in mare proiecit et in maris periculum est conversa. Que etiam adhuc memor ||137r| primi latrocinii exsequitur vetus factum et naves transeuntes absorbet. Expositio:

5-6 Isid. *Etym.* 13.18.5.

Caribdis est mare vertiginosum in Sicilia dicta Grece quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Ter in die stringit fluctus et ter vomit. Fuit autem femina huius nominis valde voratrix, quam Hercules ut dicitur, in mare precipitavit in loco ubi nunc est Caridbis.

CAPITULUM VII.

Picus rex Laurentinorum iuvenis speciocissimus Iani bifrontis et Venilie filiam duxit uxorem. Qui cum venationi indulgeret, a Circe adamatus est. Quam cum ille fugeret, illa aprum ymaginarium finxit currere coram eo ut liberius loqui cum illo posset. Sed cum ille eius amorem omnino refugeret, mutavit illum in picum et socios suos in varias formas vertit. Est autem picus avis habens durum rostrum et longum et preacutum, et linguam longissimam exerit, de qua dicit vul-

1-10 Cf. PB 14.9.

gus quod inter formicas linguam suam exerit quam, cum formicis plenam senserit, retrahit et sic formicas in os attractas devorat et consumit. Ista autem avis pluviam clamando prenosticat et ostendit. Expositio:

Picus in avem sui nominis mutatus dicitur quia cum venaretur Circe docente per picum avem de venatione sua augurabatur utrum de venatione caperet an non. Et quia super omnes picum avem venerabatur, ideo dicitur in avem illam esse conversus. Socii Pici per eandem Circen mutati finguntur in figuras varias, quia illis Circe alios augurandi modos ostendit et eos docuit. Alia expositio:

Circe cum Picum amaret et sperneretur, irata eum in avem picum convertit. Hoc autem ideo fingitur quia Picus augur fuit habens picum avem per quam futura noscebat, sicut pontificales antiquissimorum Romanorum libri indicant; unde et Virgilius lituum dat eius statue. Est autem lituus incurvus augurum baculus quo ad celi spatia designanda utebantur, eo quod manu non liceret. Certas enim metas notabunt, inter quas volantium avium omina considerabant. Quod Circen ab eo quasi veneficam fuisse contemptam, ideo reor esse quia veneficiis renuntiaverit. Alii dicunt quod Picus fuit filius Saturni ||137v| et rex Latinorum et augur peritissimus, qui etiam pater fuit Fauni patris Latini regis. Dicitur etiam quod picus avis est a Pico filio Saturni dictus, quia eo in auspiciis utebatur. Nam ferunt hanc avem quiddam habere divinum, illo indicio quia in quamcumque arborem edificaverit, clavus, vel quicquid fixum, diu herere non potest, quin statim excidat ubi ea insederit. Iste est qui picus Martius appellatur. Nam alia est pica.

11-14 Arn. 14.4.
14-16 Arn. 14.5.
17-25 MV3 11.11.
20 Virg. *A* 7.187.
27-31 Isid. *Etym.* 12.7.47.

30 diu herere] divertere

CAPITULUM VIII.

Uxor Pici Canentis nomine, cum Picus non rediret, quesivit eum per silvas et per agros. 'Sex illam noctes, totidem redeuntia solis Lumina viderunt inopem sompnique cibique' [14.423-4], donec evanuit flendo in Tibri flumine, 'Fama tamen signata loco est, quem rite Canentem Nomine de nymphe veteres dixere coloni' [14.433-4]. Expositio:

Uxor Pici pre dolore in fluvium Tyberim evanuit. Quod nil aliud fuit nisi quod ibi se submersit.

6-7 Arn. 14.6.

CAPITULUM IX.

Cum Circe mutasset regem Picum in avem, socii sui, milites, et domicelli in Circen voluerunt irruere et eam propter eius mutationem occidere. Circe igitur tremebunda cepit ad herbas et carmina sua recurrere et deam Pomanam invocare, et statim in illo loco magna silva apparuit et terra cepit tremere, arbores etiam palluerunt, lapides raucos mugitus dederunt, serpentes de terra serpserunt, et tenues circa eos anime volaverunt. Quibus monstris territi iuvenes pavere ceperunt. Circe vero virga sua venefica cepit ora singulorum tangere, et statim in formas varias sunt mutati, unde Ovidius: 'Ora venenata tetigit mirantia virga,

1-9 . . .mutati, PB 14.10.

Cuius ab attactu variarum monstra ferarum In iuvenes veniunt; nulli sua mansit ymago' [14.413-5]. Hec omnia certum est fieri potuisse per artem magicam, ut videlicet silva subito appareret. Sed de mutatione sociorum Pici expositio habetur superius. Et sciendum quod Pomana fuit a paganis dicta dea pomorum, que interdum pro ubertate pomorum capitur.

CAPITULUM X.

Cum Eneas monitus peteret antiquam matrem, ||138r| id est Ytaliam, et ibidem Latini regis filiam accepisset in coniugem, Turnus, cui illa prius pacta fuerat, bellum movit contra Eneam. Cumque Turnus naves Enee succendere laboraret, dea Venus, que mater Enee fuit, prohibuit. Ovidius tamen dicit quod Cibeles eas salvavit [14.536-65], quod verius potest dici. Nempe mutavit eas in nymphas marinas, de quibus est vulgaris opinio quod iam vagantur per maria, et quia dum erant naves multa sunt passe pericula, adhuc solent navibus periclitantibus subvenire et ne pereant, manus supponere nisi forte sint naves Grecorum. Grecorum namque naves, cum ipse sint Troiane, subvertunt vel submergunt, unde dicitur: 'Non tamen oblite, quam multa pericula sepe Pertulerint pelago, iactatis sepe carinis Supposuere manus, nisi siqua vehebat Achivos. Cladis adhuc Frigie memores odere Pelasgos' [14.559-62]. Expositio:

Naves Enee ne a Turno comburi possent, dato Troianis responso a Cibele quomodo salvarentur ab igne rutilo ruptis retinaculis, in maris profunda sunt demisse; unde fingitur Cibeles in nymphas marinas eas mutasse, unde dicitur: 'Alma parens. . . viribus usa Stuppea prerupit Frigie retinacula classis, Fertque rates pronas medioque sub equore mergit' [14.546-8].

Helenus vates filius Priami fugiens de Troia apud Arispam captus est a Grecis, quibus coactus indicavit fata Troiana et de Palladio signo fatali. Pirro vero Achillis filio consuluit ut per terram rediret, dicens fere omnes Grecos, quod et contigit, naufragio <esse> perituros, unde ex post Pirrus delegavit sibi regnum. Eo tempore consuetudinis fuit regie ut legitimam non habentes uxorem aliquam captivam tamen pro legitima tenerent et haberent, ita ut liberi ex ea nati succederent in regnum paternum. Pirrus vero Andromachen Hectoris quondam coniugem pro legitimam habuit et ex ea filium Molosum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai et Helene filiam, Horresti iam desponsatam, uxorem ducere, Horrestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens precepit ||138v| ut Andromache, que apud eum locum uxoris tenuerat, daretur Heleno propter supradictum beneficium quo eum a navigatione prohibuerat; unde factum est ut teneret regnum Molosus, a quo Molosia dicta est pars Epiri. Hanc regionem postea Helenus occupavit et eam a fratre suo Chaone, filio scilicet Priami quem

13 Cf. supra, 14.7.

1-10 . . .submergunt, PB 14.14.
15-18 . . .mutasse, Arn. 14.9.
21-25 Cf. MV^3 40, Serv. *A* 2.166.
25-38 Cf. MV^1 41, Serv. *A* 3.297.

12 siqua] qua
24 esse *add.*

in venatione per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit ad solatium videlicet fratris extincti. Diomedes et Ulixes, ut quidam dicunt, cuniculis vel cloacis ascenderunt arcem Troie et occisis custodibus simulacrum Palladis vel Palladium sustulerunt. Quod cum Diomedes haberet et crederet sibi non aptum esse propter pericula, <transeunti> Enee offerre conatus est. Sed Eneas cum se velato capite sacrificans convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum, unde Minerve sacra non Iulia gens habuit, sed Nautarum. Alii dicunt Palladium a Troianis fuisse absconditum intra parietem postquam cognoverunt Troiam esse perituram. Quod postea bello Mitridatico, ut dicitur, Fimbria quidam Romanus inventum indicavit quod Romam constat advectum. Et cum responsum fuisset illic imperium fore futurum ubi et Palladium, adhibito quodam Mamurio fabro multa similia facta sunt. Verum agnoscitur haste oculorumque mobilitate. Diomedes, cum multis casibus affiigeretur, Palladium quod <apud> ipsum erat Troianis oraculo iussus est reddere. Quod cum vellet implere, Eneam invenit sacrificantem. Eneas, ut supradiximus, sacrificii non rupit ordinem, et Palladium Nautes accepit, unde Nautarum familia Minerve sacra servabat. Ancille celo lapsum est et data sunt a diis responsa illic fore imperium ubi illud esset. Quod ne aliquando esset hostes cognoscerent, per Mamurium fabrum multa similia facta sunt. Erat autem scutum breve <et> rotundum quod Romanis de celo lapsum dicitur. Ad cuius similitudinem alia sunt facta in templo Martis. Et sciendum quod Troiani reges in suo diadema de iaspidem gemmam ferre solebant in qua Palladium, id est simulacrum Palladis, insculptum erat, et hoc habebant pre ceteris regibus speciale. Aliud vero Palladium quod pro misterio habebant ||139r| Troiani vocabatur secretum Troianum, in quo fatum imperii illorum fuit, quod a nullis nisi a paucis sacerdotibus videri licebat. Nam illud quod videbatur simulacrum Palladis ligneum erat et maximum erat. Illud autem verum Palladium breve, ut dictum est, quod agnoscebatur et toruitate, id est terribilitate luminum et haste mobilitate. Per hoc simulacrum sapientia signabatur Troianis a deo infusa. Qua dum usi sunt regnum eorum fuit incolume, sed faciendo contraria passi sunt ruinam. Quando Palladium delatum fuit in castra Grecorum per Diomedem et Ulixem, visum est subsiluisse et sudasse, quod fuit contra naturam, per quod signabatur labor quem Greci passuri erant revertentes a Troia terra marique.

38-51 Cf. MV[1] 40, Serv. *A* 2.166.
51-55 MV[1] 142.
55-57 Serv. *A* 7.188.
58-59 Serv. *A* 8.664.

42 transeunti *add.*
44 Iulia] Vilia
52 apud *add.*
58 et *add.*

CAPITULUM XI.

Diomedes fuit unus ex regibus Grecie qui venerant contra Troiam. Qui cum quadam die contra Eneam pugnaret, Venus mater Enee qui eum conceperat ab Anchise, Eneam defendit tecta nube. Diomedes ergo ignoranter Venerem vulneravit in manu, unde Venus irata uxorem

1-6 PB 14.11.

6-7 prostitute . . . MV^{1} 141.
8-11 PB 14.11.
12-14 Arn. 14.7.
16-20 Papias, s.v. 'Diomedeae.'
20-21 Hugutio, s.v. 'Diomedee.'
21-48 Aug. *CD* 18.16, 18.

eius fecit puplicam meretricem. Quod audiens Diomedes noluit redire in regnum suum Etholie pre verecundia uxoris prostitute, sed venit in Appuliam vel Ytaliam et filiam Dauni duxit, et ibi Beneventum et Arpos condidit. Qui Turno pugnanti contra Eneam auxilium ferre recusavit. Venus memor accepti vulneris a Diomede, dum navigaret convertit socios suos in aves aquaticas que usque modo diomedee dicuntur. Expositio:

Socii Diomedis conversi sunt in aves aquaticas. Quod ideo fingitur quia pre nimia desperatione evadendi maris pericula in quibus constituti fuerunt in mari se voluntarie submerserunt. Sed de ista materia diversi diversa sentiunt. Quorum opiniones et dicta volo describere. Papias nempe narrat quod pagani Diomedem deum asserunt fuisse factum. Cuius socii in aves fuere conversi. Qui ita paganos ludificant ut suis, id est Grecis, applaudant, si illuc venerent alienos vero verberent. Ad templum vero Diomedis ||139^{v}| rostro aquam portant et illud aspergunt. Hugutio etiam dicit quod Diomedes aves dicte sunt a sociis Diomedis quos ferunt fabule in illas aves fuisse conversos. Augustinus autem in duodevicesimo libro de Civitate Dei, capitulo sexto decimo, dicit quod Greci Diomedem fecerunt deum. Quem divinitus irrogata pena perhibent ad socios non esse reversum. Eiusque socios in volucres fuisse conversos; dicunt etiam templum eius esse in insula Diomedea non longe a monte Gargano, qui est in Appulia; aves vero illas hoc templum circumvolare et incolere tam mirabili obsequio ut pennas et rostra aquis impleant et templum aspergant. Etsi illuc Greci venerint, non solum quietas esse, verum etiam adulari. Si autem alienegenas viderint, convolare ad capita tamque gravibus ictibus ut etiam perimant eas vulnerare dicantur. Nam duris et grandibus rostris satis ad hec prelia perhibentur armate. Ad hec respondet beatus Augustinus in eodem libro, capitulo duodevicesimo: Hec vel falsa sunt vel tam inusitate ut merito non credantur. Firmissime tamen tenendum est omnipotentem Deum omnia posse facere que voluerit, nec demones operari nisi quod ille permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa et iniusta nulla. Nec sane demones naturas creant, etsi aliquid tale faciunt, sed specie tenus que a Deo vero sunt creata commutant, ut videantur esse quod non sunt. Socii ergo Diomedis, quia nusquam subito comparuerunt et postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos angelis malis, in eas que pro illis sunt occulte ex aliis locis ubi est hoc genus avium ad ea loca perducte ac repente supposite creduntur esse conversi. Quod ad Diomedis templum aquam rostris afferunt et spergunt et blandiuntur Grecis atque alienegenas persequuntur, mirandum non est fieri instinctu demonum, quorum interest persuadere deum factum esse Diomedem ad decipiendos homines, ut etiam falsos deos cum veri Dei iniuria multos colant, ||140^{r}| et hominibus mortuis templis, altaribus, sacrificiis, qui nonnisi uni Deo vivo et vero debentur inserviant. Hec Augustinus. Solinus vero

de harum natura avium narrat amplius in hunc modum: Est, inquit, insula prope Appuliam in qua tumulus et templum cernitur Diomedis. Hec insula aves diomedeas sola nutrit. Nam hoc genus avium preterquam ibi nusquam gentium invenitur. Forma illis est pene que fulicis vel herodiis, color candidus, ignei oculi, ora dentata. Congregate simul volant; duces duo sunt qui regunt cursum, unus precedit agmen, alter subsequitur. Ille ut ductu certum iter dirigat, hic ut instantia urgeat tarditatem. Cum autem tempus nidificandi affuerit, rostro scrobes excavant, deinde surculis inversum superpositis imitantur texta cratium; et sic contegunt subtercavata. Et ne operimenta defuit, si forte lignorum cassem venti auferant, hanc struem premunt terra quam eiecerant cum puteos excaverent. Duplicem quoque accessum ad nidos faciunt. Aditus, per quem ad pascum exeunt, versus orientem est. Qui excipit revertentes versus occasum est, ut lux et morantes excitet et receptui non denegetur. Cum autem ventrem purgare volunt contra ventum subvolant et vento flaute egestio longius auferatur. Iste aves indicant inter advenas. Namque habent velut quandam cognitionem adventantium. Si Grecus est qui advenerit, proprius accedunt et quantum datur intelligi, velut in civem blandius adulantur. Siquis ex aliqua alia gente supervenerit, contra eum volant et impugnant, ac alis verberant et unguibus lacerant. Omni die ad templum Diomedis rostro aquam portant, ac etiam aquis imbuunt plumas suas et sic convolant rorulente ad templum prefatum et ibi super illud excusso rore quasi quadam religione templum purificant, deinde pennis superplaudunt. Et postea quasi peracta ||140v| religione discedunt. Ob hoc ferunt Diomedis socios aves factos. Sane ante adventum Etholi ducis, scilicet Diomedis, nomen diomedee non habebant, sed nomen ab illo traxerunt. De hiis dicit Ovidius: 'Si volucrum que sit dubiarum forma requiris, Ut non cignorum, sic albis proxima cignis' [14.508-9].

49-75 Solinus 2.45.

49 de] et

62 ut] et

CAPITULUM XII.

Capharea mons est ubi Nauplus pater Palamedis cupiens ulcisci filium suum a Grecis proditiose peremptum, facem tenuit in reditu Grecorum ad quam navigantes Greci, utpote portum ibi esse putantes, fere omnis perierunt, unde Ovidius Tristium: 'Quicumque Argolica de classe Capharea fugit, Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.'

